AUTHOR:

WALTER, HERMANNUS

TITLE:

DE SCRIPTORUM ROMANORUM...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

Master Negative #

91-80397-27

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG91-B98631         Acquisitions     NYCG-AE
Record 1 of 0 - SAVE record
+
  ID:NYCG91-B98631    RTYP:a    ST:s   FRN:      MS:        EL:          AD:11-22-91
  CC:9668   BLT:am     DCF:?   CSC:?   MOD:      SNR:       ATC:         UD:11-22-91
  CP:nyu      L:lat    INT:?   GPC:?   BIO:?     FIC:?      CON:???
  PC:r       PD:1991/          REP:?   CPI:?     FSI:?      ILC:????   MEI:?    II:?
  MMD:        OR:     POL:      DM:      RR:     COL:       EML:       GEN:   BSE:
  040      NNC‡cNNC
  100 10  Walter, Hermannus.
  245 10  De scriptorum Romanorum usque ad Vergilium studiis Homericis‡h[microfo
       rm]. ‡bDissertatio inauguralis philologica quam...‡cpublice defendet auc
       tor Hermannus Walther, Marchicus.
  260 0   Vratislaviae, ‡bTypis F. W. Jungferi.
  300     45 p.
  LDG     ORIG
  QD      11-22-91
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm

REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 12-27-91

INITIALS ER

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

DE SCRIPTORUM ROMANORUM
USQUE AD VERGILIUM STUDIIS HOMERICIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI
AD SUMMOS
IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVIII. M. MAII A. MDCCCLXVII, HORA XI
IN AULA LEOPOLDINA
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERMANNUS WALTHER,
MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:
A. HOEHNE, DD. PHIL. G. ENGLICH, DD. PHIL.
G. KUEHN, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS F. W. JUNGFERI.

PATRI OPTIMO

SACRUM.

Non dubium est, quin Graeci in coloniis studia homerica non minus tractaverint, quam in patria ipsa; et in scholiis inter complures Homeri editiones, quae, ut Wolfius Proleg. p. 176 docuit, vetustiores erant quam Zenodoti et Aristarchi, Massiliotica editio commemoratur cf. Sengebusch diss. prior hom. p. 197 (schol. A 97. 298. 423. 585. 598. M 283. α 97. Ξ 418. Ω 109), quam, ut Sengebuschii verbis utar, multis locis fidem antiquissimam lectionis homericae dereliquisse certissimum est. Itaque bono animo accipere possumus, carmina quae feruntur Homeri jam antiquissimis temporibus a colonis in Italiam translata esse, praesertim cum literatura circiter anno 700 a. Ch. in usu fuerit (cf. BernhardyGriech. Lit. I. p. 218). Atque re vera scimus, viros doctos in Italia inferiore huic poëtae operam dedisse, quorum potissimi sunt Pythagoras (Sengebusch diss. prior p. 131 sq. Diog. Laert. VIII. 21. Suidas s. v.), Empedocles Agrigentinus (Sengebusch diss. pr. p. 136 sq. Diog. Laert. VIII. 74.), Gorgias Leontinus (Sengebusch diss. pr. p. 112). Cumque Romani mox cum Graecis, qui in Italia sedes habebant, commercium habuerint, etiam linguam et litteras eorum illos cognovisse consentaneum est. Huc accedit, quod magistri, qui scholis Romanis praeerant, ipsi Graeci aut in magna Graecia graecas litteras edocti fuerunt, cf. Sueton. ill. gr. init: „antiquissimi doctorum, qui iidem et poëtae et semigraeci erant — Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse annotatum est — nihil amplius quam Graecos interpretabantur“ sq.

Cum igitur illi magistri graecos tantum auctores interpretati sint, ipsi vero more Graecorum in scholis Homeri carmina perlegerint et cognoverint cf. Plato Protag. p. 325 E; Xenophanes apud Herodian. περὶ διχρόνων ed. Lehrs p. 366: „ἐξ ἀρχῆς καθ' Ὅμηρον ἐπεὶ μεμαθήκασι παῖδες“, certissimum est illos graeco Homero legendo, explicando, ediscendo pueros Ro-

manos exercuisse cf. Horat. ep. II. 2. 41. Neque obstant verba Horatii ep. II. 1. 69, quibus poëta affirmat, se carmina homerica in latinum versa in ludis legisse; nam Horatius puer certe non solum romanis litteris operam dedit. Praeterea conferas praeceptum illud Quintiliani inst. I. 1. 12. „a graeco sermone puerum incipere malo sq." Itaque jure ac merito accipere possumus scriptores, qui Homeri carmina in scholis romanis legi tradunt, graecum textum, ut ita dicam, respicere (Cic. ad famil. IV. 18. Quintil. inst. I. 8. 5. Horat. ep. II. 2. 41. Plinius epist. II. 14. 2. Petron sat. V. 11. Statius silv. II. 1. 117. V. 3. 146). Maximae laudi pueris, quod diligenter Homerum cognoverint, ductum esse apparet ex carmine (Meyer Anthol. lat. ep. 189 v. 9), quod Petronius Antigenes diis manibus pueri cuiusdam mature mortui obtulit. Posterioribus temporibus cum viri, qui christianam doctrinam amplectebantur, scholis praeessent, minime Homerus neglegebatur, id quod elucet ex Auson. idyll. IV. 45 et inprimis ex Augustin. de civ. Dei I. 3. et ex confession. I. 14, 23: „mihi tamen amarus erat puero; credo etiam graecis pueris Vergilius ita sit, cum eum sic discere cogantur, ut ego illum sq." Praeterea in conviviis divitum Romanorum certi homines adhibebantur, qui carmina homerica recitarent cf. Juvenal, XI. 177; et in inscriptione, quam Muratorius in novo thesauro veterum inscriptionum Tom. II. p. 655 affert, Tiberius Claudius, Augusti libertus, propterea laudatur, quod veterum poëtarum ac praecipue Homeri carmina ad potentum convivia cecinerit; id quod mater illius in carmine sepulcrali, quod de filii morte composuit, laudi videtur duxisse cf. Meyer Anth. latin. ep. 1361 v. 13.

Doctus Maeonio spirantia carmina versu
dicere Caesareo carmina nota foro.

Quid? quod scimus Romanos quosdam, qui liberales litteras edocti erant, saepius versus homericos in ore habuisse. Cuius rei complura testimonia apud scriptores exstant. Scipio Carthagine diruta versus illos memorabiles Il. VI. 448. 449. (cf. Appian hist. rom. VIII. 132) et Tiberio Graccho occiso versum Odysseae I. 47 (cf. Plutarch Tib. Gracch. XXI.) protulisse fertur. Praeterea Plutarchus in Brut. XXIII. narrat, Brutum et Acilium quendam Porciam versuum nonnulorum, qui in Il. VI. 429. 491. leguntur, monuisse; idem Brutus data occasione versum Il. XVI. 849 commemorasse dicitur cf. Plut. Brut. XXIV. Praecipue Cicero epistolis suis saepissime versus homericos inseruit, qua de re postea verba faciam. Neque non feminae romanae Homeri carmina perlegerunt et cognoverunt, id quod ex Plut. Brut. XXIII. colligi potest. Et Claudianus in laude Serenae reginae XXIX. 146 sq. Stilichonis uxorem

laudat, quod illa carmina legerit, quocum comparandus est alter locus „In nuptiales Honorii Augusti et Mariae X. 232 sq." Atque ingenuas feminas Romae de illis carminibus disseruisse illaque cum vergilianis comparavisse satis elucit ex Juvenal. sat. VI. 473. Denique etiam tabulas Romae fuisse, in quibus res ab Homero in carminibus descriptae erant pictae, cum ex Plutarchi Brut. XXIII, tum ex Vergil. Aeneid. I. 456 sq. intellegere possumus (Müller Archaeologie der antiken Kunst p. 710 sq). Plinius quoque (hist. nat. XXXV. 144.) „belli iliaci" mentionem facit, quod pluribus tabulis a Theoro pictum in porticu Philippi erat collocatum; nec „tabula iliaca", quae Bovillis inventa est cf. Mus. Capitol. Tom. IV. p. 364. silentio praetermittenda est. —

Sed haec hactenus de studiis, quae in universum Romani carminibus homericis impenderunt; jam transeo ad propositum meum, ut quaeram, quatenus scriptores Romani Homerum cognoverint eumque in operibus suis sint imitati.

Et primum quidem accuratius de primo poëta Romano Livio Andronico, cuius tantum pauca fragmenta exstant, mihi disserendum erit. Nam ille, quem Sueton. ill. gr. init. semigraecum et magistrum nominat, Homeri Odysseam in latinum vertit, qui liber per longum tempus in ludis romanis a discipulis legebatur cf. Horat. ep. II. 1, 69, qui narrat, se cum Orbilio magistro Livii Odysseam perlegisse. Et Gellius noct. att. XVIII. 9. 5 dicit se in bibliotheca Patrensi librum verae vetustatis Livii Andronici, qui inscriptus esset Odyssea, offendisse. Nec multo post Horatii tempora liber in scholis videtur abolitus esse; non enim crediderim Odysseam Livii etiam Planciadis Fulgentii aetate in usu fuisse cf. Mythol. I. 26 „... quia fabulam Lucanus et Livius scripserunt poëtae, grammaticorum scholaribus rudimentis admodum celeberrimi, hanc fabulam referre superfluum duximus;" praesertim cum fides illius Fulgentii valde suspecta sit cf. Bernhardy Röm. Lit. p. 350 annot. 247. Nunc tantum septem et triginta fragmenta exstant, quae post alios O. Guenther Progr. Greifenberg a. 1864 diligentissime collegit. Ut graecum epos ingenio romano accommodaret, Livius in libro conscribendo versu Saturnio usus est; quae res ipsa satis impedimento fuit, quominus graeca carmina totidem versibus latinis redderet. Sed quomodo poëta latinus Homeri carmina imitatus sit vel verterit, dubium est, et variae sententiae a viris doctis proferuntur. In singulis quidem Livium ab Homero non recessisse jam apparet ex Varonis ling. lat. VII. 85 Müller p. 152, ubi Homerus et Livius de Jovis numine eandem sententiam habuisse commemorantur. Sed quod ad compositionem omnino attinet, Niebuhrius Röm. Gesch. IV.

p. 329 sibi persuasum esse profitetur, Livium non totam Odysseam transtulisse, sed potius in angustum coëgisse summasque tantum res attigisse; cf. Schlosser Universalhistorische Uebersicht der Geschichte der alten Welt und ihrer Cultur II. 2. p. 241. Attamen nullam caussam video, qua ad hanc sententiam cogamur, praesertim cum plurimi versus qui extant ad homericos non solum referri, sed etiam ex graecis translati agnosci possint. Equidem puto, poëtam totam Odysseam in latinum vertisse ne iis quidem neglectis, quae minus ad summam totius carminis pertinent; id quod optime ex fragmentis accurate ordinatis cum graecisque versibus comparatis apparebit.

Ut Homerus, Livius initio libri Musam invocat frg. 1. „Virum mihi Camena insece versutum“ coll. Od. I. 1. „ἄνδρα μοι ἔννεπε, μοῦσα, πολύτροπον.“ Sequitur deorum concilium, ubi Minerva ex Jove petit, ut Ulixem in patriam remittat frg. 2. „Pater noster, Saturne filie“ coll. Od. I. 45 „ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων“; et Jupiter filiae respondet frg. 3 „mea puera quid verbi ex tuo ore supera fugit?“ coll. Od. I. 64 „τέκνον ἐμόν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;“ et frg. 5. „neque tam ted oblitus sum Laertie noster“ coll. Od. I. 65 „πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην“. Minerva in Ithacam profecta Telemachum incitat, ut patrem quaerat frg. 7. „quae haec tandem daps et qui festus dies est?“ coll. Od. I. 226 „εἰλαπίνη ἠὲ γάμος; ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν;“ et frg. 8. „meam matrem procitum plurimi venerunt“ coll. Od. I. 248. „τόσσοι μητέρ' ἐμὴν μνῶνται, τρύχουσι δὲ οἶκον“ verba sunt Telemachi cum dea colloquentis. Tum contione Ithacorum convocata Antinous Telemachum increpat frg. 9. „quando dies adveniet, quem profata Morta est?“ coll. Od. II. 100 „εἰς ὅτε κέν μιν | μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο;“ sed hic illi dicit se patriam esse relicturum frg. 10. „aut in Pylum adveniens aut ibi ommentans“ coll. Od. II. 317 „ἠὲ Πύλονδ' ἐλθὼν ἢ αὐτοῦ τῷδ' ἐνὶ δήμῳ.“ Telemachus profecturus est frg. 11· „statimque remos jussit religare struppis“ coll. Od. II. 422 „Τηλέμαχος δ' ἑτάροισιν ἐποτρύνας ἐκέλευσεν | ὅπλων ἅπτεσθαι,“ ad Nestorem venit, qui ei sortem Achillis, Ajacis, Patrocli narrat frg. 12. „ibidemque vir summus adprimus Patricoles“ coll. Od. III. 110. „ἔνθα δὲ Πάτροκλος θεόφιν μήστωρ ἀτάλαντος.“ Invenimus deinde Telemachum apud Menelaum epulantem frg. 13. „atque escas habeamus mentionem“ coll. Od. IV. 213 „δόρπου δ' ἐξαῦτις μνησώμεθα.“ Tum Menelaus, quae ipsi Proteus pronuntiavit, omnia narrat frg. 14. „partim errant nequinont Graeciam redire“ coll. Od. IV. 495 „πολλοὶ μὲν γὰρ τῶν γε δάμεν, πολλοὶ δὲ λίποντο“. Inprimis Ulixem diu a Calypsone retentum esse commemorat frg. 16. „apud nympham Atlantis

filiam Calypsonem“ coll. Od. IV. 557 „νύμφης ἐν μεγάροισι Καλυψοῦς, ἥ μιν ἀνάγκῃ | ἴσχει“. Dimissus ab illa nympha Ulixes undis et tempestatibus jactatur frg. 17. „igitur demum Ulixi cor frixit prae pavore“ coll. Od. V. 297 „καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ“, ad Phaeacorum insulam devectus nesciit frg. 18. „utrum genua amplectens virginem oraret“ coll. Od. VI. 142 „ἢ γούνων λίσσοιτο λαβὼν εὐώπιδα κούρην“. Haec peregrinum benigne allocuta haec praecipit frg. 19. „ibi manens sedeto donicum videbis | me carpento vehentem domum venisse parentis“ coll. Od. VI. 295 „ἔνθα καθεζόμενος μεῖναι χρόνον, εἰς ὅ κεν ἡμεῖς | ἄστυδε ἔλθωμεν καὶ ἱκώμεθα δώματα πατρός“. Ulixes vestem, quam ei Nausicaa dederat, indutus ad aedes Alcinoi venit et Arete filiae vestem recognoscit frg. 20. „opus puerarum manibus confectum pulcherrime“ coll. Od. VII. 235 „τά ῥ' αὐτὴ τεῦξε σὺν ἀμφιπόλοισι γυναιξίν“. Ibi cum Demodocus laudes virorum, qui Trojam ceperant, cantasset, Ulixes lacrimas effudit frg. 21. „simulac lacrimas de ore noegeo detersit“ coll. Od. VIII. 88 „δάκρυ' ὀμορξάμενος κεφαλῆς ἄπο φᾶρος ἕλεσκεν“; deinde Laodamas hospitem ad certamen vocans inter alia haec dicit frg. 22. „namque nullum | pejus macerat homonem quamde mare saevum | vires cui sint magnae topper confringent | eas importunae undae“ coll. Od. VIII. 138 „οὐ γὰρ ἔγωγέ τί φημι κακώτερον ἄλλο θαλάσσης | ἄνδρα γε συγχεῦαι, εἰ καὶ μάλα καρτερὸς εἴη“. Postea Demodocus Martis et Veneris amorem carmine celebrat frg. 23. „Mercurius cum eoque filius Latona“ coll. Od. VIII. 322 „ἦλθ' ἐριούνης | Ἑρμείας, ἦλθεν δὲ ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων“, cantumque laudans Ulixes rhapsodo dicit frg. 24. „nam diva | Monetas filia docuit“ coll. Od. VIII. 488 „ἢ σέ γε μοῦσ' ἐδίδαξε Διὸς παῖς, ἢ σέ γ' Ἀπόλλων“. Tum Ulixes Alcinoo errores suos enarrat, inprinis quae apud Aeolum passus sit frg. 26. „inferus an superus tibi fert deus funera Ulixes“ coll. Od. X. 64 „πῶς ἦλθες, Ὀδυσεῦ; τίς τοι κακὸς ἔχραε δαίμων“; ad Circam pertinet frg. 27. „topper faciet homones vel verres vel sueres“ coll. Od. X. 433 „ἢ σῦς ἠὲ λύκους ποιήσεται ἠὲ λέοντας“ et frg. 28. „topper ubi ad aedis venimus Circae | simul duona portant ad naves sociorum | simul milia alia in isdem interserinuntur.“ Denique Ulixes Ithacam venit et ad Eumaeum devertit, qui de procorum impudentia queritur frg. 30. „parcentes admodum“ coll. Od. XIV. 92 „οὐδ' ἔπι φειδώ,“ ibi cum Telemacho filio colloquitur frg. 31. „quoniam audivi; paucis gavisi“ coll. Od. XVI. 92 „ἦ μάλα μευ καταδάπτετ' ἀκούοντος φίλον ἦτορ.“ Et Penelope cum hospitem in aedes venisse audiisset, eum de conjuge percontata est et ab illo, qui Ulixem se novisse professus est, commemoratur ejus frg. 32. „vestis pulla purpurea ampla“ coll. Od. XIX. 225 „χλαῖναν

πορφυρέην οὖλην ἔχε δῖος Ὀδυσσεύς.“ Vexatus ab ancillis et procis heros praeteritorum malorum meminit frg. 33. „cum socios nostros mandisset impius Ciclops“ coll. Od. XX. 19 „ἤματι τῷ ὅτε μοι μένος ἄσχετος ἤσθιε Κύκλωψ | ἰφθίμους ἑτάρους;“ postea illos in aedibus occidit frg. 34. „at celer hasta volans perrumpit pectora ferro“ coll. Od. XXII. 82 „ἰὸν ἀποπροϊεὶς βάλλε στῆθος παρὰ μαζόν, | ἐν δέ οἱ ἥπατι πῆξε θοὸν βέλος.“ Denique Penelope cum conjugem recognovisset ac benigne recepisset, narrat, quantum carnis et vini proci consumpserint frg. 35. „carnis vinumque quod libabant anclabatur“ coll. Od. XXIII. 304 „οἵ ἕθεν εἵνεκα πολλά, βόας καὶ ἴφια μῆλα, | ἔσφαζον, πολλὸς δὲ πίθων ἠφύσσετο οἶνος.“ His accedunt quatuor fragmenta, quibus certas sedes assignare nequimus, quippe quibus similia saepius et diversis locis in Odyssea legantur; at etiam haec homericis versibus accurate respondent; nam frg. 6. „argenteo polubro et aureo ex gutto“ referendum est ad Od. I. 136. VII. 173 X. 369 „χέρνιβα δ’ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα | καλῇ χρυσείῃ;“ et frg. 15. „sancta puer Saturni filia regina“ convenit homerico „πότνια Ἥρη,“ quod sexcenties invenitur; cum frg. 29. „sic quoque fitum est“ comparandum est Od. V. 302. XIII. 178 „τὰ δὲ δὴ νῦν πάντα τελεῖται;“ denique frg. 36. „jam in altum expulsa lintre“ ad similitudinem Homeri Od. VIII. 51. IV. 780 „νῆα μὲν οὖν πάμπρωτον ἁλὸς βένθοσδε ἔρυσσαν“ conformatum est. — Cum igitur Livius Andronicus compositionem Odysseae homericae, ut vidimus, plane servaverit, cumque omnia fragmenta, quae protulimus, graecis verbis omnino respondeant, verisimillimum est, poëtam totam Odysseam in latinum transtulisse, praesertim cum Livius etiam leviora, quae ab epitomatore, ut ita dicam, optime praetermitti poterant, vertere non omiserit. Atque in munere suo Livius cum libertate quadam versatus est, nec verbum ex verbo, ut Labeo, de quo infra disseram, transtulit cf. Cic. Brut. 19. Sed restant tria fragmenta: frg. 25 „nexebant multa inter se flexu nodorum | dubio,“ frg. 28. v. p. 5., frg. 37 „auratae vaginae, baltea aurata | illis erant et equorum inaurata tapeta cf. N. Jahrb. f. Phil. 1866 t. XLIII p. 567 quibus nisus quispiam Niebuhrii sententiam sustineat; nam apud Homerum vix versus reperiantur, quibus Liviani respondeant, ita ut poëta romanus ab Homero longius recessisse videatur. At mihi persuasum est, etiam illa verba Livium ex Homero transtulisse, quamquam iis similia hodie nusquam Odysseae leguntur. Nescimus enim, qua editione poëta usus sit; et cum ante carminum recensionem ab Aristarcho confectam complures editiones inter se diversissimae exstiterint, accipere possumus Livium in sua editione versus illos invenisse et vertisse. Itaque non adstipulor A. Spengelio, qui (Philol. 1865, tom. 22 p. 539) ut verba frg. 28. homericis respondentia efficiat, illud fragmentum conjectura tentat. At in singulis Livius non semper mores Homeri videtur secutus esse; nam nonnulli versus in graeca Odyssea diversis locis iidem redeunt ut illud τέκνον ἐμὸν ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων,“ sed Livius tales versus mutavit, ut apparet ex frg. 3. v. p. 4 et frg. 4 „mea puer, quid verbi ex tuo ore audivi“ inter se comparatis.

Cum igitur Livius tantam Homeri cognitionem habuerit, fieri fortasse potuit, ut etiam in tragoediis nonnulla ex illius carminibus protulerit. Ex fragmentis quidem, quippe quae paucissima exstent, non intellegi potest, quod argumentum singulae fabulae habuerint et quem in iis conscribendis poëta secutus sit auctorem. Aegisthi fabulae complura rudera habemus, et Welckerus Griech. Tragoed. III. p. 1158 ex frg. 6. (Ribbeck) conclusit, in hac fabula Agamemnonem in epulis occisum esse secundum Homeri Od. IV. 533 sq. Praeterea astipulor Ribbeckio tragic. rom. rell. p. 244., qui unum illum versum ex Achille fabula irascenti Achilli tribuit, ita ut ad Il. XIX. 147 referatur. Denique verba frg. inc. fab. 5 „haut ut quem Chiro in Pelio docuit ocri“ certe ad Achillem spectant cf. Il. XI. 831. —

Haec de Livio Andronico; nunc videamus, quomodo Naevius in carmine suo, quod inscribitur „bellum punicum“ Homerum imitatus sit. Dubitari non potest, quin hic poëta multis in rebus illum sit secutus cf. Klussmann Naevii vita et reliquiae p. 52: „Homerum Naevius sine dubio non omnino neglexit.“ Et reperiuntur apud veteres scriptores duo loci, quibus haec opinio satis confirmatur; namc Macrobius Saturn. VI. 2 p. 514 Jan. dicit Vergilium multos locos ex veteribus paucis verbis mutatis in Aeneidem transtulisse, et illis Aeneidis versibus, quibus Venus apud Jovem de periculis filii queritur, allatis scriptor ille haec: „hic locus totus sumptus est ex primo libro belli punici; illic enim aeque Venus Trojanis tempestate laborantibus cum Jove queritur et secuntur verba Jovis filiam consolantis spe futurorum.“ Ipsi quidem Naevii versus non exstant, cum autem locus Vergilianus simillimus sit Homeri Il. I. 497, ubi Thetis de injuriis filio factis querens Jovem adit, optimo jure concludere possumus, Naevium hoc loco Homerum imitatum esse. Alter locus est Servii, qui ad Aeneid. I. 198 sq. annotat, totum locum de Naevii belli punici libro translatum esse. Versus vero Vergiliani ad Homeri Od. XII. 208 referri possunt, ita ut etiam hic locus Naevianus, quem aetas non tulit, ex Homero sumptus fuisse videatur. At etiam ex fragmentis, quae habemus, quodammodo Naevii studia homerica cognosci possunt. Nam epitheta ornantia quae vocan-

tur ab Homero tanquam acervatim posita in Naevii libro prorsus non desiderantur, et nonnulla eorum sane homericis comparari possunt. Lib. I. frg. 2. Vahlen „amatam victimam pulcram“ cf. Od. III. 426 „ὄφρα βοὸς χρυσὸν κέρασιν περιχεύῃ; lib. I. frg. 8. „summi deum regis fratrem Neptunum regnatorem marum“ cf. Il. XV. 189; lib. I. frg. 13. „pulcras creterras aureas lepistas“ cf. Il. III. 247 „κρητῆρα φαεινὸν ἠδὲ χρύσεια κύπελλα;“ lib. I. frg. 18. „bicorpores Gigantes magnique Atlantes“ cf. Od. VII. 59. lib. II. frg. 6. „Cereris Proserpina puer“ cf. Od. XI. 217; libr. II. frg. 7 „pollens sagittis inclutus arquitenens sanctus Delphis prognatus Pythius Apollo“ cf. Il. IV. 101 κλυτότοξος; ex inc. lib. frg. 4. „pulcramque ex auro vestemque citrosam“ cf. Od. V. 264. „εἵματα δ᾽ ἀμφιέσασα θυώδεα σιγαλόεντα,“ quem locum jam Macrobius ex Homero translatum judicavit cf. Saturn. III. 19. p. 352 Jan. —

In fabulis conscribendis Naevium maxime Euripidem secutum esse satis ostendunt Ladevicus anal. scen. p. 6, Mommsenius Röm. Gesch. Ib. p. 858, Ribbeckius trag. rom. rell. p. 245—247; nec demonstrari potest, poëtam ullius fabulae materiem ex Homero petiisse. De versibus hexametris, qui antea ex Naevii Cypria Iliade sumpti credebantur vide infra.

Ennium, de quo nunc disputaturus sum, Romani ipsi non solum primum poëtam (Lucret. de rer. nat. I. 118. Cic. pro L. Corn. Balbo 22 de orat. I. 45), sed etiam „alterum Homerum“ praedicaverunt cf. Lucil. apud Hieronym. in Mich. c. VII. opp. ed. Vallars. VI. p. 518. non, ut opinor, quod multis in rebus graecum poëtam imitatus esset, sed quod primus omnium carmen epicum graeca arte confecisset; cui quidem laudi Horatius illudere videtur dicens ep. II. 1. 50 „Ennius et sapiens et fortis et alter Homerus, ut critici dicunt.“ At Ennius ipse alterum Homerum se praedicavit narrans, cum in monte Parnasso placide dormiret, Homerum se vidisse, a quo edoctus sit, illius animam in suum corpus transiisse; deinde ex somno experrectum poëtam factum esse cf. Lucret. I. 116, Vahleni lib. I. frg. VI. VII. VIII. Cic. de rep. VI. 10. 10. Fronto epp. ad Ver. I. 3. de eloqu. IV. 3 Persius VI. 10. Porphyr. ad Hor. epp. II. 1. 50. Et quanti Ennius graecum poëtam fecerit, ex eo apparet, quod solum Homerum dignum habuit, qui Scipionis, cuius facta Ennium tantopere admiratum esse constat, laudes caneret cf. Suid. s. v. Valer. Max. VIII. 14. 1. — Primum Ennius in eo Homerum secutus est, quod opus suum hexametris composuit, quod metrum optime epico carmini convenire certe ab illo edoctus est. Deinde si Ennii fragmenta, quae Vahlenus collegit, perlustramus, non solum multa vestigia studiorum homericorum invenimus, sed etiam a veteribus

scriptoribus traditur, Ennium graecum poëtam cognovisse et imitatum esse. Et Cicero quidem de finib. mal. et bon. I. 3. 7 dicit, se ex graecis scriptoribus locos quosdam in suum librum translaturum esse, ut Ennium ab Homero; deinde Varro de re rust. I. 1. 4: „et quoniam, ut ajunt, dei facientes adjuvant, primo invocabo eos, neque ut Homerus et Ennius Musas, sed duodecim deos consentis;“ et Probus in Georg II. 506 p. 53 Keil: „Tyron enim Sarram appellatam Homerus docet, quem etiam Ennius sequitur auctorem, cum dicat „Poenos Sarra oriundus“ cf. lib. IX. frg. XIX; tum Tertullian. adv. Valent. c. 7. p. 291. D. Rigalt.: „Primus omnium Ennius poëta Romanus cenacula maxima caeli simpliciter pronuntiavit de elati situs nomine vel quia Jovem illic epulantem legerat apud Homerum.“ Denique auctore Gellio N. A. XIII. 21. 14 Ennius etiam in singulis et vilibus rebus Homerum imitari studuit; nam ille docet, cum Homerus vocabulum ἀήρ (ἠέρα βαθεῖαν Il. XX. 446) femininum usurpaverit, Ennium in annali duodevicensimo idem fecisse et „aere fulva“ posuisse. Videamus igitur, quatenus Ennius in annalibus Homerum aperte secutus sit.

In initio libri poëta ut Homerus Musam invocat, quam ob rem Varro l. n. simul cum Homero cum vituperat. Praeterea apud Ennium eundem ambitum verborum ac sententiarum, quo saepissime Homerus usus est, invenimus, et ab illo non solum singulae res vel singulae actiones accurate describuntur, sed etiam idem sermo verbosus adhibetur atque a graeco poëta. Itaque saepissime appositiones nominibus sunt additae, ut lib. I. frg. 2. „musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum,“ coll. Homeri Il. II. 484. „μοῦσαι ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσαι;“ frg. inc. sed. 102. 103 „divum pater atque hominum rex“ coll. Il. IV. 68 „πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε;“ lib. I. frg. 46. „Juno Saturnia sancta dearum“ et fibr. I. frg. 20. „dia dearum“ coll. illo „δῖα θεάων;“ libr. I. frg. 29 „Assaracus natus Capis optimus isque pium ex se | Anchisen generat“ coll. Il. XX. 239. Constat inter omnes, Homerum epitheta quaedam vel totos versus nulla mutatione facta diversis locis iterasse, quem morem etiam Ennius videtur secutus esse, nam multa apud eum iterum ac saepius posita invenimus, ut frg. inc. sed. 102. 103. „divum pater atque hominum rex;“ lib. VII. frg. 5. VIII. frg. 7. XVII. frg. 1. „quatit ungula campum;“ libr. I. frg. 27. III. frg. 14. X. frg. 6. „caelum fulgentibus aptum;“ libr. I. frg. 72. IV. frg. 2. „luminis oras;“ lib. XIV. frg. 2. inc. sed. 27 „labitur uncta carina.“

At si omnino compositionem respicimus, complura alia Ennius ab Homero esse mutuatus videtur. Nam ut initio IV. libri Iliadis Jupiter excidium Trojae constituit, sic etiam noster

secundum Servium ad Aeneid. I. 20 Jovem induxit promittentem Romanis exidium Carthaginis. Satis fuse graecus poëta certamina, quae in Patrocli honores celebrabantur, descripsit, et Vergilius Aeneidi similia inseruit; at cum sciamus, hunc non semper proximum imitatorem Homeri esse, sed aliorum, qui graecum poëtam imitati sunt, praecipue Ennii cf. Serv. ad Aeneid. VIII. 630. II. 486, Macrob. Saturn. VI. 3. p. 516. Jan., — qui docet Ennium libr. XVIII. frg. 2 Homerum (Il. XVI. 102), Vergilium (Aeneid. IX. 807) Ennium secutum esse,— fortasse accipere possumus, etiam in certaminibus describendis Vergilium Ennii imitatorem esse, qui quidem Homerum secutus sit; nam ex Serv. ad Georg. II. 384 „Romulus cum aedificaret Jovis templum pelles unctas stravit et sic ludos edidit, ut et caestibus dimicarent et cursu contenderent, quam rem Ennius in annalibus testatur“ apparet, etiam poëtam homerica ratione in carmine suo certamina descripsisse. Notissimum est, Homerum saepe imaginibus vel parabolis usum esse, id quod Ennium fecisse ex fragmentis potest videri; praeterea plurimae earum ad homericas referri possunt. His in imaginibus adhibentur frg.inc. sed. 51. libr. XVIII. frg 7. equi cf. Il. XVIII. 506, libr. X. frg. 7. canes venatici cf. Il. X. 360, lib. XVII. 5 venti cf. Il. XI. 305; duae imagines frg. inc. sed. 58. 66 ad homericas non respiciunt.—Restat denique ut singulos versus proferam, quos Ennius ex Homero in latinum versos suis annalibus inseruit. Hi sunt libr. I. frg. 29

Assaraco natus Capis optimus isque pium ex se
Anchisen generat. coll. Il. XX. 239
'Ασσάρακος δὲ Κάπυν, ὁδ' ἄρ' 'Αγχίσην τέκε παῖδα
Αὐτὰρ ἐμ' 'Αγχίσης. libr. XI. frg. 4.
Concidit et sonitum simul insuper arma dederunt coll.

Il. IV. 504 Δούπησεν δὲ πεσὼν, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. lib. XVIII. frg. 2.

Undique conveniunt vel ut imber tela tribuno
Confingunt parmam, tinnit astilibus umbo
Aerato sonitu galeae; sed nec pote quisquam
Undique nitendo corpus discerpere ferro
Semper obundantes hastas frangitque quatitque
Totum sudor habet corpus multumque laborat,
Nec respirandi fit copia; praepete ferro
Histri tela manu jacientes sollicitabant cf. Il. XVI. 104.

(Macrobius Saturn. VI. 3 p. 516. Jan):

Βάλλοντες· δεινὴν δὲ περὶ κροτάφοισι φαεινή
Πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε, βάλλετο δ' αἰεὶ
Κὰπ φάλαρ' εὐποίηθ'· ὁ δ' ἀριστερὸν ὦμον ἔκαμνεν,
Ἔμπεδον αἰὲν ἔχων σάκος αἰόλον· οὐδ' ἐδύναντο
'Αμφ' αὐτῷ πελεμίξαι ἐρείδοντες βελέεσσιν.

Αἰεὶ δ' ἀργαλέῳ ἔχετ' ἄσθματι, κὰδ δὲ οἱ ἱδρώς
Πάντοθεν ἐκ μελέων πολὺς ἔρρεεν, οὐδέ πη εἶχεν
'Αμπνεῦσαι· πάντη δὲ κακὸν κακῷ ἐστήρικτο. frg. inc. sed. 2

O genitor noster Saturnie maxime divum coll. Od. XXIV. 473

Ὦ πάτερ 'ἡμέτερε Κρονίδη, ὕπατε κρειόντων frg. inc. sed. 51

Et tum sic ut equus, qui de praesepibus fartus
Vincla suis magnis animis abrupit et inde
Fert sese campi per caerula lataque prata
Celso pectore, saepe jubam quassat simul altam,
Spiritus ex anima calida spumas agit albas. coll. Il. V. 506

(Macrob. Saturn. VI. 3 p. 517 Jan.):

Ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
Δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
Εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋρρεῖος ποταμοῖο,
Κυδιόων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
Ὤμοις ἀΐσσονται. frg. inc. sed. 70.

Contremuit templum magnum Jovis altitonantis coll. Il. I. 528. „μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.“ frg. inc. sed 117 „dictis Romanis incutit iram“ coll. Il. V. 470 „ὡς εἰπὼν ὤτρυνε μένος,“ frg. inc. sed. 56 animus cum pectore latrat coll. Od. XX. 13 „κραδίη δέ οἱ ἔνδον ὑλάκτει. Praterea libr. XVII. frg. 4; inc. sed. 60 cum Homeri Il. XVII. 425 et libr. VI. frg. 21 cum Od. II. 1; et libr. XVI. frg. 22 cum Il. VIII. 485 conferas.

Quod ad Ennii tragoedias attinet, is qui reliquias earum, quas Ribbeckius trag. Rom. rell. p. 13—62 collegit, perlustraverit, fortasse putet, poëtam trium fabularum materiem ex Homero ipso mutuatum esse, cum plurima illarum fragmenta ad locos homericos possint referri, immo multa homericis plane congruant. Harum fabularum tituli sunt: Achilles Aristarchi, Achilles, Lustra Hectoris. At cum in ceteris tragoediis Ennius, ut ante eum Naevius, graecos tragicos praecipue Euripidem secutus sit cf. Ribbeck. p. 248 sq., ita ut ex judicio Ciceronis Acad. I. 3 non verba sed vim graecorum expresserit poëtarum, verisimillimum est, eum etiam in illis graecas tragoedias retractavisse, praesertim cum ex primae fabulae titulo sciamus, poëtam in hac conscribenda Aristarchum tragicum quendam secutum esse. Quos quidem auctores in aliis fabulis habuerit, convinci nequit. Carcinum tragicum fabulam „Achillem“ composuisse constat, cuiusquidem unum fragmentum Ennianis non respondet cf. Nauck trag. graec. rell. p. 619; neque alius poëtae graeci similem fabulam novimus. Complures graeci tragici (Aeschylus, Sophocles, Dionysius) fabulam „Hectoris lustra“ docuerunt, sed certo dijudicari non potest, qua Ennius sit usus; nam Dionysii nulla fragmenta exstant cf. Nauck p. 616; nec

verisimile est Ennium Aeschyli Λύτρα secutum esse, cum in his Hector, qui a graeco poëta mortuus commemoratur, ab Ennio vivus in scenam productus sit cf. Hermann de Aeschyl. Myrmid. p. 19 Opusc. V. 136—163; praeterea locus ex Aeschyli vita p. 3. 10. (Westermann Βιόγρ. p. 119, 35) obstat, nam ibi leguntur verba: „ἔν τε τοῖς Ἕκτορος λύτροις Ἀχιλλεὺς ὁμοίως ἐγκεκαλυμμένος οὐ φθέγγεται πλὴν ἐν ἀρχαῖς ὀλίγα πρὸς Ἑρμῆν ἀμοιβοῖα; contra in Ennii fabula Achilles permulta locutus esse videtur. Itaque Welckerus „die griechischen Tragoedien p. 136“ post Hermannum contendit, latinum poëtam Sophoclis Λύτρα fortasse ruminatum esse. Etiam fieri potuit, ut Ennius duas graecas fabulas contaminarit, id quod in Iphigenia tragoedia conscribenda fecit cf. Bergk. ind. lect. Marb. a. 1844. p. 12 sq. Sed quorumcunque fabulas ille retractavit, eum in singulis locis etiam Homerum adiisse et secutum esse mihi persuasum est. Videamus igitur, quatenus singula fragmenta ad Homeri verba possint referri. Primae fabulae, qua lis inter Achillem et Agamemnonem continebatur, tria fragmenta exstant; et ex frg. 1 et 2 apparet, ut Ribbeckius p. 272 optime demonstravit, Graecorum contionem haberi, in qua Agamemno et Achilles inter se altercantur; frg. 3 „prolato aere adstitit“ non cum Ribbeckio ad Alexandri et Menelai aut Hectoris et Ajacis certamen referam, sed ad Achillem, qui injuria ab Atrida affectus gladium ei intendit cf. Il. I. 194.— Complura fragmenta ex altera tragoedia, cuius summa in legatione frustra ad Achillem missa posita erat, exstant; sed priusquam ea perlustremus, de re quadam controversa disseramus necesse est. Nam ex scholio Gronov. in Cic. pro Rosc. Am. XXXII, 39: „in Ennio haec fabula inducitur Achillis, quo tempore propter Briseïdam cum Graecis pugnare noluit; quo etiam tempore Hector classem eorum incendit. In hac pugna Ulixes vulneratus inducitur et fugiens ad Achillem venit. Cum interrogaretur ab Ajace, cur fugisset, ille ut celaret, dedecus: quis enim vulneratus ferro Frugio?“ Ribbeckius p. 274 et alii conjecerunt, Ulixem non inter legatos ab Agamemnone ad Achillem missos fuisse, sed forte ad eum venisse saucium. Equidem non crediderim graecum poëtam, quem Ennius secutus est, in tam trita re ab Homero recessisse et scholion illud ad locum, qui postea in Iliade XI. 439. 459 legitur, refero, ubi Ulixes a Soco vulneratus ad Ajacem ipsi subvenientem fugit; nam cum legatio ad Achillem mitteretur, Ulixes nondum vulnere affectus, nec naves incensae erant. Itaque Orellio astipulor, qui scholiastae verbis mutatis pro „ad Achillem“ „ad Ajacem“ posuit. Dubitari non potest, quin plurima fragmenta ex illa scena sumpta sint, in qua legati Achillem orabant, ut in aciem rediret. Itaque ad Ulixes

sermonem refero frg. 1 „serva cives, defende hostes, cum potes defendere“ coll. Il. IX. 248. 251. et frg. 7. „summam tu tibi | pro mala vita famam extolles, pro bona partam gloriam; | male volentes famam tollunt, bene volentes gloriam,“ nisi potius sunt verba Phoenicis, qui sententiam ab Achille prolatam Il. IX. 318 corrigit; etiam frg. 5. „nam consiliis obvarant, quibus | concedit Hector“ Ulixi ascribam docenti, deos ipsos, quorum consilia Hector exsequatur, Graecis iniquos esse cf. Il. IX. 236; et de Hectoris fortitudine dicens legatus haec adjecit frg. inc. sed. 5 „Hector, qui haud cessat obsidionem obducere“ coll. Il. IX. 241 sq.; frg. 2 verba „per ego deum sublimas subices | umidas, unde oritur imber sonitu saevo et spiritu“ ex jure jurando Achillis sunt, qui frg. inc. sed 4 „meae tam potis | pacis potiri“ dicit, nunquam sibi cum Agamemnone amicitiam fore, cf. Il. IX. 386. Atque frg. inc. sed. 3 „eo ego ingenio natus sum | ; aeque inimicitiam atque amicitiam in frontem proptam gero“ ex Achillis sermone excerptum esse ex eo apparet, quod verba simillima sunt Homeri Il. IX. 312 „ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλησιν, | ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ;“ idem etiam frg. 3. Phoenicem admonet fortasse, ut apud naves maneat neve in castra redeat cf. Il. IX. 427. Incertum est, cuinam verba frg. 6. 7. inc. sed. 6 tribuenda sint, quorum frg. 6 „ita magni fluctus ejiciebantur Homeri Il. XII. 285, frg. inc. sed. 6 „crassa pulvis oritur, omnem pervolat caeli fretum“ Il. XIII. 334 respondent. Mihi quidem persuasum est, Ennium huic tragoediae scenam inseruisse, ubi Ulixes vulneratus cum Ajace convenit cf. frg. inc. sed. 1., ad quem locum scholion Gronov. refero. Et non solum Ulixes, sed etiam Eurypylus ab Ennio saucius inducebatur; nam complura fragmenta de colloquio Patrocli et Eurypyli habemus, quae cum Vahleno huc refero. Ut enim apud Homerum, sic etiam apud nostrum Eurypylus amici auxilium implorat, dicens Machaonem medicum ipsum vulneratum esse frg. inc. sed. 2 coll. Il. XI. 832, et a Patroclo interrogatus — „eloquere eloquere res Argivum proelio ut se sustinet“ coll. Il. XI. 818 ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ, διοτρεφὲς Εὐρύπυλ' ἥρως | ἤ ῥ ἔτι που σχήσουσι πελώριον Ἕκτορ' Ἀχαιοί“ — quomodo res Achivorum se haberet, dixit aciem inclinatam et plurimos viros occisos esse; frg. inc. sed. 61 „ferro foedati jacent“ coll Il. XI. 825 „κέαται βεβλημέναι οὐταμένοί τε.“ Sequitur tertia fabula „Lustrum Hectoris,“ cuius ex fragmentis quodammodo compositionem cognoscere possumus; atque in plurimis Ribbeckio astipulor, qui p. 276 hac de fabula locutus est. Frg. 1. 2. 3. certe ex colloquio Achillis et Patrocli sunt, quod apud Homerum initio Iliadis libri XVI. legitur; et frg. 1 et 2 verba

sunt Patrocli amicum orantis, ut ipsum in pugnam mittat; at frg. 3 invito Ribbeckio Achilli tribuo, imploranti, ut in Il. XVI. 234 deos, ut Patroclus Trojanos fuget et Achivis salutem ferat; frg. 4 verba fortasse ex iis sunt, quae Achilles praesagiens amici mortem audito in castris clamore exclamavit cf. Il. XVIII. 6. Sequuntur verba Antilochi nuntii frg. 5 et 6 „ecce autem caligo oborta est, omnem prospectum abstulit derepente contulit sese in pedes," quocum conferendum est Il. XVI. 790 „ἠέρι γὰρ πολλῇ κεκαλυμμένος ἀντεβόλησεν" et Il. XVI. „λύθεν δ᾽ ὑπὸ φαίδιμα γυῖα." Vix intellegi potest, quomodo Ennius frg. 7—13 fabulae inseruerit et valde dubia Ribbeckii sententia mihi videtur, qui frg. 12 „inferum vastos specus" ad Homeri Il. XXIII. 74 refert, ubi Achilles Patroclum in somno videt. Certe denique ex frg. 14 „per vos et vostrum imperium et fidem | obsecro, mei, Myrmidonum vigiles, commiserescite" cognoscimus Priamum Achillem adiisse et orasse, ut corpus necati filii sepeliendum sibi redderet. Forsan etiam frg. 15 ex Priami sermone est; et frg. inc. sed. 9 „tueor te senex? pro Jupiter" Achillis verba videntur esse promittentis, se senem tuiturum esse. — Eorum fragmentorum, quae cui attribuenda sint, nescimus, complura homericis versibus plane respondent, nam frg. inc. sed. 8 „hehae! | ipse clipeus cecidit" simile est Il. XVI. 803 „ἀσπὶς σὺν τελαμῶνι χαμαὶ πέσε τερμιόεσσα;" frg. 9. „aes sonit, franguntur hastae, terra sudat sanguine" et frg. 10 „constitit creto Scamander, arbores vento vagant" congruunt Homeri Il. XXI. 324 „ἦ καὶ ἐπῶρτ᾽ Ἀχιλῆι κυκώμενος, ὕψοσε θύων | μορμύρων ἀφρῷ τε καὶ αἵματι καὶ νεκύεσσιν | πορφύρεον δ᾽ ἄρα κῦμα διιπετέος ποταμοῖο | ἵστατ᾽ ἀειρόμενον·" et frg. inc. sed. 15 „ager oppletus imbrium | fremitu" optime comparari potest cum Il. XVI. 384 „ὡς δ᾽ ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθών", qua de caussa huic fabulae hoc inserere non dubitem. Satis de compositione harum tragoediarum dixisse mihi videor, praesertim cum plurima in ariolando posita sint.

Pacuvius, tragoediarum scriptor, plurimis in fabulis Sophoclem et Euripidem secutus est cf. Ribbeck p. 278 sq., nec manifesta homericae imitationis vestigia in ejus fragmentis reperiuntur. Fortasse, ut Ribbeckius p. 286 censet, Niptra frg. 2 „lenitudo orationis, mollitudo corporis" Anticleae verba sunt ad Od. XIX. 392 spectantia.

Jam venio ad Lucium Attium, praeclarum tragicum romanum, cuius fabularum satis multa fragmenta exstant; sed priusquam de fabulis disseram, juvat proferre, quid poëta de aetate Homeri senserit. Nam ille in didascalicon libris quos Madvigius Opusc. I. p. 90 sq. pedestri sermone,

Hermannus de L. Attii libris didascalicon Leipz. Progr. 1842 metro trochaico, Lachmannus Index schol. Berol. 1849 sotadeis confectos esse affirmat, de Homero egit, et ex Gellii noct. att. III. 11. 4 cognoscimus, quam aetatem poëtae vindicaverit. At satis temere quaestionem iniit eique Hesiodum ante Homeri tempora floruisse persuasum erat. Nam Gellius l. n. haec disputavit: „Attius autem in primo didascalico levibus admodum argumentis utitur, per quae ostendi putat, Hesiodum natu priorem: quod Homerus, inquit, cum in principio carminis Achillem esse filium Pelii diceret, quis esset Peleus, non addidit; quam rem procul, inquit, dubio dixisset, nisi ab Hesiodo jam dictum videret. De Cyclope itidem, inquit, vel maxime quod unoculus fuit, rem tam insignem non praeterisset, nisi aeque prioris Hesiodi carminibus invulgatum esset." Atque in primo libro etiam de singulis locis homericis verba fecisse videtur, nam Nonius p. 233 A. ed Gerl. ex primo didascalicon libro haec servavit:

sapientiaeque invictae
Gratia atque honoris patera Nestorem mactat
Aurea.

quae verba haud dubie ad Hom. Il. XXIII. 615 referenda sunt.

Inter Attianas fabulas tres fuisse, in quibus res ab Homero celebratae in scenam productae erant, ex titulis ipsisque fragmentis intellegi potest. Prima enim harum tragoediarum inscribitur „Myrmidones," cuius alter titulus „Achilles" videtur fuisse cf. Welcker p. 33; altera tragoedia „Nyctegresia", tertia „Epinausimache" inscribebatur. Et imprimis Hermannus Opusc. V. p. 136—163, ubi de Aeschyli Myrmidonibus, Nereïdibus, Phrygibus disseruit, has fabulas Attianas ad illas Aeschyleas conformatas esse conjecit, ita ut Attius Aeschylum secutus sit auctorem; quam opinionem Welckerus p. 33 videtur probare. Contra Nieberdingius „Ilias Homeri ab L. Attio poëta in dramata conversa" p. 3 haec: „Attius totam Iliadem in continuam fabularum seriem disposuit, et quamvis sit Aeschylum imitatus, multa tamen de suo ingenio addidisse et multo minus, quam ab Aeschylo factum est, epicum colorem delevisse videtur" quae quidem sententia Welckero p. 34 non placuit. Negari igitur non potest, Attium ut omnes, qui ante eum tragoedias scripserunt, graecas fabulas ruminatum esse, et facile fieri potuit, ut noster Aeschyleas imitaretur vel potius sequeretur, quamvis fragmenta minime congruant. Et causa, cur Attium graecum quendam tragicum secutum esse putemus, fortasse ex eo intellegi potest, quod in rebus tritissimis ab Homero recessit; apparet enim ex Myrm. frg. 1. in illa fabula

Antilochum inter legatos ad Achillem missos fuisse, id quod poëtam, nisi graecus tragicus praeiisset, finxisse vix crediderim. Non nostrum est quaerere, quem tragicum in fabulis componendis Attius secutus sit; minime vero quae Homerus cecinit, neglexit cf. Ribbeck p. 303, ita ut multa iis congruant. Singula igitur fragmenta ad Iliadis locos referre iisque comparare conemur praeeuntibus Nieberdingio et Ribbeckio.

In prima fabula (Nieberding p. 5 sq. Ribbeck p. 303) nonus Iliadis liber i. e. legatio frustra ad Achillem missa in drama conversa erat, et praeter Ulixem, Ajacem, Phoenicem etiam Antilochum illum adiisse constat. Fragmentorum quae exstant plurima certis Iliadis locis respondent, immo nonnulla accurate homericis congruunt; sed cum omnes legati Achilli persuadeant, ut iram remittat, difficile est dijudicatu, cuinam frustula sint attribuenda. Et nonnulla ex Ulixis sermone videntur sumpta esse; nam Myrm. frg. 5. „iram infrenes, obstes animis, reprimas confidentiam“ respiciunt ad Ulixis verba Il. IX. 255 „σὺ δὲ μεγαλήτορα θυμόν | ἴσχειν ἐν στήθεσσι φιλοφροσύνη γὰρ ἀμείνων·“ nisi sunt Phoenicis coll. Il. IX. 496 „ἀλλ' Ἀχιλεῦ δάμασον θυμὸν μέγαν;“ huc pertinere probabile est frg. ex inc. inc. fab. 63 „nostra miseria es magnus . . . . | eandem virtutem istam veniet tempus cum graviter gemes | si neque leges te neque mores cogunt,“ quae verba ad Ulixem vindico affirmantem fore, ut amicum iratum aliquando inertiae suae poeniteat cf. Il. IX. 249. Complura etiam ad Phoenicis sermonem pertinent, qui Achillem docet, neminem tam immitem esse, qui verbis non mitigetur; itaque frg. Achill. 2. „ne tum cum fervat pectus iracundiae“ ad Il. IX. 525 „ὅτι κέν τιν' ἐπιζάφελος χόλος ἵκει“ et frg. ex inc. fab. 25 „nullum est ingenium tantum, neque cor tam ferum, | quod non labescat lingua, mitiscat malo“ ad Il. IX. 526 „δωρητοί τε πέλονται παράρρητοί τ' ἐπέεσσιν.“ referenda censeo. Praeterea apud Homerum (Il. IX. 510 sq.) Phoenix perorat, Achilli pertinaciam aliquando crimini versum iri cf. Il. XVI. 204; quo ex colloquio nonnulla videntur esse hausta, ut frg. Ach. 1. „qua re alia ex crimine inimicorum effugere possis delica“ ad quae Achilles frg. Myrm. 7 „ego me non peccasse plane ostendam aut poenas sufferam“ fortasse respondet. Porro verbis frg. Myrm. 6. „tua honestitudo Danaos decepit diu“ Phoenix Achillem reprehendit, quod diu a pugna se abstinuerit cf. Il. IX. 518; huc quoque jam Ladevicus anal. scen. p. 3. frg. ex inc. inc. fab. 28 „non multa peccas, sed si peccas ego te regere possum“ rettulit, quae ex Phoenicis de institutione Achillis pueri enarratione sumpta videntur cf. Il. IX. 485 sq. Et Phoenix, ut amicum cum Agamemnone conciliaret, huius fidum animum videtur

laudasse verbis frg. Myrm. 9 „nolo equidem, sed tu huius, quem scis quali in te siet | fidelitate, ob fidam naturam viri | ignosce“ coll. Il. IX. 515. Item nonnulla fragmenta Achillis sermones servare negari non potest, et homericis saepius respondent. Frg. Myrm. 3 „mea facta in acie obliti“ Achilles fortasse queritur, quod nullos fructus ex laboribus ceperit cf. Il. IX. 321 et injuriam ab Agamemnone sibi illatam commemorat frg. ex inc. inc. fabula 27 „ops exit, set ego egens exortus sum“ coll. Il. IX. 335. 344, praeterea frg. Achil. 3 „an sceptra jam flaccent? ferat“ irridere videtur, quod Agamemnoni res male cesserint cf. Il. IX. 376. Deinde Achilles frg. inc. inc. fab. 9 „nam neque pretio neque amicitia neque vi impelli neque prece | quitus sum“ profitetur, se nunquam commoveri posse, ut cum inimico in gratiam redeat, coll. Il. IX. 315 „οὔτ' ἔμεγ' Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα πεισέμεν οἴω | οὔτ' ἄλλους Δαναούς (cf. Il. IX. 378. 386). Itaque Phoenicem increpat, quod frustra ipsum reconciliare studeat frg. Myrm. 4. „quodsi, ut decuit, stares mecum aut meus te maestaret dolor | jam diu inflammari Atridae navis vidissent suas“ coll. Il. IX. 615 „καλόν τοι σὺν ἐμοὶ τὸν κήδειν ὅς κ' ἐμὲ κήδῃ;“ immo se domum profecturum esse minatur frg. Myrm. 2. „trahere in salum | classis et vela ventorum animae immittere“ coll. Il. IX. 358. (Hermann Opusc. V. 140)

νηήσας εὖ νῆας, ἐπὴν ἅλαδε προερύσσω
ὄψεαι, ἢν ἐθέλῃσθα καὶ αἴ κέν τοι τὰ μεμήλῃ,
ἦρι μάλ' Ἑλλήσποντον ἐπ' ἰχθυόεντα πλεούσας
νῆας ἐμάς, ἐν δ' ἄνδρας ἐρεσσέμεναι μεμαῶτας·
εἰ δέ κεν εὐπλοίην δώῃ κλυτὸς ἐννοσίγαιος,
ἤματί κε τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.

Denique Achilles Phoenici, quem una secum domum redire jubet, obtulisse imperium ut apud Homerum videtur, frg. Myrm. 8 „regnum tibi permitti malunt? cernam: tradam exercitus“ coll. Il. IX. 616 „ἶσον ἐμοί βασίλευε καὶ ἥμισυ μείρεο τιμῆς.“

Altera fabula est „Nyctegressia“ (Nieberding p. 9 sq. Ribbeck p. 306 Welcker p. 1102 sq.), in qua quae apud Homerum in libro X. Iliadis leguntur, agebantur. Nam Agamemno postquam cognovit, Achillem non rediturum esse in pugnam, noctu principes Achivorum in concilium convocat, in quo de ipsorum clade verba facit. Deinde Diomedes et Ulixes speculatores in hostium castra progressi nonnullos, inter quos Rhesus fuit, interficiunt. Sed cum fragmentorum pauciora certo ad homerica verba referri possint, tantum divinare licet, quomodo poëta compositionem instituerit. Agamemnoni concilium convocanti frg. 1. 2. 3. tribuenda sunt; praeterea frg. inc. fabula 19 „scindens dolore identidem intonsam comam“ ad eum respicit

coll. Il. X. 15 „πολλὰς ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας.“ Deinde frg. 7 „Juve nunc, adtemptare, juve nunc, anime, ruspari Frygas“ ex Diomedis sermone sunt, qui se in hostium castra irrepturum esse affirmat coll X. 220 „Νέστορ', ἔμ' ὀτρύνει κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ;“ ejusdemque sunt verba frg. 6. „an ego Ulixem obliviscar unquam aut quemquam praeponi velim?“ coll. Il. X. 243 „πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοίμην;“ Denique frg. 8 „cuncta expedibo: id modo jus jurandum date“ Dolonis verba continentur, qui cum omnia expediturus sit, Diomedem et Ulixem, ne ipsum necent, orat. Quomodo reliqua fragmenta sint disponenda, statuere non ausim, et ea quae Nieberdingius de his disputavit, valde dubia sunt.

Sequitur tertia fabula „Epinausimache“ (Nieberding p. 11. sq. Ribbeck p. 304. Welcker p. 33), in qua ea, quae Homerus lib. XVI. sq. cecinit, continebantur. Valde vero dubium mihi videtur, num frg. inc. fab. 13 „immo enim vero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli“ auctore Ribbeckio ad nostram fabulam sit referendum, ita ut Attius etiam de Hectore a patre redempto in extrema tragoedia egerit. Certe enim mirum esset, quomodo poëta, qui ut fabulae titulus docet „Epinausimachen“ in scenam producturus erat, materiem tam amplam et copiosam in unius fabulae compositione coacervasset. Nec Ribbeckius, quod Ennii „lustra Hectoris“ pro testimonio attulit, in qua eadem atque in nostra fabula acta sint, opinionem suam satis stabilivit. Nam ille tragicus, qui maxime Hectoris lustra componenda sibi proposuit, beviter tantum initio fabulae certamina ad naves commissa videtur attigisse. Itaque cum Hermanno et Nieberdingio accipiam, Attium etiam fabulam „Hectoris lustra“ confecisse. Summa igitur tragoediae „Epinausimachae“ haec videtur fuisse; initio colloquium inter Achillem et Patroclum legebatur, qui multa de clade Achivorum et de victoria hostium locutus amicum orat, ut ipsum in pugnam mittat. Patroclo occiso Achilles mortem amici luget, eumque mater consolari studet. Deinde iratus in aciem redit, et postquam cum Aenea congressus est, Hectorem ferro petit eumque necat. Et ut singula fragmenta homericis comparemus, ex sermone Patrocli inprimis est frg. 8 „nec perdoliscit fligi socios morte campos contegi“ coll. Il. XVI. 23 „οἱ μὲν γὰρ δὴ πάντες, ὅσοι πάρος ἦσαν ἄριστοι | ἐν νηυσὶ κέαται βεβλημένοι οὐτάμενοί τε;“ deinde ille enarrans, quantam cladem Achivi acceperint, de Hectore haec frg. 14 „primores procerum provocavit nomine | si esset quis, qui armis secum vellet cernere“ coll. Il. VII. 67, et de ipso Hectoris et Ajacis certamine frg. 10 „incursio ita erat acris“ coll. Il. VII. 208, et frg. 11 „Martes armis duo congressos crederes“ col. Il. VII. 211. Et Pa-

troclus acrius Achilli precibus instans nunquam se eum implorare desiturum esse affirmat frg. 16 „tamen haud fatiscar, quin tuam implorem fidem;“ deinde amico Achilles complura commendat eumque monet, ut sibi gloriam paret frg. 4 „quod si procedit, neque te neque quemquam arbitror | tuae paeniturum laudis, quam ut serves vide“ coll. Il. XVI. 84 sq; praeterea frg. 3 „at contra, quantum obfueris, si victus sies | considera et quo revoces summam exerciti“ referendum est ad Il. XVI. 96 „ἀλλὰ πάλιν τρωπᾶσθαι, ἐπὴν φάος ἐν νήεσσιν | θήῃς,“ ubi Achilles Patroclo suadet, ut quam primum redeat. Deinde ex Antilochi sermone, qui Patrocli mortem Achilli nuntiat, fortasse est frg. 6 „item ac maestitiam mutam infantum quadrupedum“ coll. Il. XVII. 436, ubi Achillis equi mortem Patrocli dicuntur luxisse. Achillis praesente Thetide de morte amici lacrimat et inter alia haec profert frg. 7 „mors mihi subigit, quod mi est senium multo acerrimum“ coll. Il. XVIII. 98 sq. et matri filium in pugnam confestim decessurum retinenti respondet frg. 1 „ut nunc cum armatus iero, satis armatus sum“ coll. Il. XVIII. 125. Etiam frg. inc. fab. 2 „an haec obliti sunt Phryges,“ quod huc spectare verisimillimum est, respondet Il. XVIII. 125 „γνοῖεν δ' ὡς δὴ δηρὸν ἐγὼ πολέμοιο πέπαυμαι;“ praeterea Ribbeckius huc accit frg. inc. fab. 13. „non calida latice lautus“ coll. Il. XIX. 208 „ἐπὴν τισαίμεθα λώβην | πρὶν δ' οὔ πως ἂν ἔμοιγε φίλον κατὰ λαιμὸν ἱείη“ vel. Il. XXIII. 44 „οὐ θέμις ἐστὶ λοετρὰ καρήατος ἆσσον ἱκέσθαι.“ Porro huc referam frg. inc. fab. 3 Schol. Leid. ad Vergil. Georg. I. 502 (Suringar hist. crit. Schol. II. p. 347) „quomodo Laomedonte orti sunt Trojani, Accius docet: Juppiter Dardanum genuit, Dardanus Troum Trous Assaracum et Ilum et Ganymedem, Capys ex Assaraco satus, qui Pergamum construxit, Laomedon Priamum et Anchisen edidit;“ nam haec simillima, immo eadem fere apud Homerum Aeneas cum Achille congressus pronuntiat cf. Il. XX. 215 sq. De certamine inde exorto nonnulla exstant fragmenta, et primum Graeci a navibus ad Trojam procedentes laudantur frg. 9 „ab classe ad urbem tendunt, neque quisquam potest | fulgentium armum armatus ardorem obtui“ coll. Il. XIX. 356 sq. „τοὶ δ' ἀπάνευθε νεῶν ἐχέοντο θοάων | . . . . ὡς τότε ταρφειαὶ κόρυθες λαμπρὸν γανόωσαι | νηῶν ἐκφορέοντο, καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι | θώρηκές τε κραταιγύαλοι καὶ μείλινα δοῦρα.“ Achillis verba certe sunt frg. 12 „Scamandriam undam salso sanctam obtexi sanguine | atque acervos alto in amni corpore explevi hostico,“ quae accurate iis congruunt, quae Homerus Il. XXI. 218 cecinit „πλήθει γὰρ δή μοι νεκύων ἐρατεινὰ ῥέεθρα | οὐδέ τί πῃ δύναμαι προχέειν ῥόον εἰς ἅλα δῖαν | στεινόμενος νεκύεσσι.“ Denique ex colloquio,

quod inter Achillem et Hectorem congredientes habebatur, fortasse sumptum est frg. 13 „ubi nunc terricula tua sunt?" Reliqua frag. 2. 5. 15. 17 quomodo fabulae inserta fuerint, non video.

Restant vero tragoediarum fragmenta, quae dispersa apud scriptores inveniuntur nec certis poëtis certisque fabulis tribui possunt; inter haec nonnulla sunt, quae vel res homericas respicere videntur vel ad similitudinem homerici sermonis conformata sunt. At in his proferendis ne nimia audacia vel temeraria ariolatio crimini mihi vertatur, ea tantum perstringam, quae manifesto ad Homerum referenda sunt aut imitationem Homeri prae se ferunt. Inprimis frg. ex inc. inc. fab. 32 „vidi te, Ulixes, saxo sternentem Hectora, | vidi tegentem clipeo classem Doricam; | ego tunc pudendam trepidus hortabar fugam," quod frustulum Ribbeckius aut ad Ennii fabulam „Achillem Aristarchi" p. 275, aut ad Attii „Armorum judicium" p. 313 refert (cf. Welcker p. 1383), mihi quidem verba Agamemnonis videntur esse, cui cum domum redire moliretur Il. XIV. 75 sq. ab Ulixe inertia crimini dabatur. Sed quae Ajax perpatraverat, a poëta ad Ulixem vindicata sunt cf. Il. VII. 268 et XV. 731. Deinde frg. ex inc. inc. fab. 33, quae de Ajace dicta Cicero Tusc. disp. IV. 23. 52 affirmat „facinus fecit maximum, cum Danais inclinantibus | summam rem perfecit, manu sua restituit praelium | insaniens" ad ea, quae ab Homero in extremo libro XVI. proferuntur, respiciunt. Agamemnoni Troja nondum expugnata domum reverti placuisse frg. ex inc. inc. fab. 13 „jam domuitionem reges Atridae parant" commemoratur coll. Il. VIII. 243. IX. 27 alibi. Denique quae frg. ex inc. inc. fab. 59 „mento summam aquam [nitenti] attingens enectus siti" de Tantalo dicta sunt, simillima sunt Od. XI. 583 „καὶ μὴν Τὰνταλον εἰςεῖδον χαλέπ' ἄλγὲ ἔχοντα | ἑσταότ' ἐν λίμνῃ· ἡ δὲ προσὲπλαζε γενείῳ, | στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ'οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι." Haec satis de tragicis.

Aetate proximus exstitit Lucilius, saturarum scriptor, quem Homeri carmina penitus, non obiter cognovisse et saepius vel de poëta ipso vel de rebus ab illo laudatis in saturis disseruisse, non solum ex fragmentis, quae post alios Fr. D. Gerlach Turici 1846 collegit, intellegitur, sed etiam a veteribus scriptoribus affirmatur cf. Porphyr. ad Horat. sat. I. 9. 78, Servius ad Aen. X. 623. X. 104. Praeterea Servius l. n. nos docet, multa in Lucilii saturis plane epicorum poëtarum more scripta fuisse. Videamus igitur, quomodo de Homero, clarissimo poëta epico, senserit, et quatenus res homericas in libris suis attigerit. Et primum quanti Homerum fecerit ex eo perspicitur, quod ut Ennium laudibus efferat, eum „alterum Homerum" appellat cf. p. 8. Deinde scriptor, qui saepius in saturis de poëtis

verba fecit eorumque opera tanquam recensuit cf. Gell. noct. att. XVII. 21. 49 et de Euripide Gell. noct. att. VI. 3. 28., ea, quae apud Homerum ipsi displicuerunt, minime reticuit cf. Mart. ep. X. 90. Horat. sat. I. 10. 53, ubi de Lucilio agitur. Itaque verisimillimum est cf. Gerlach proleg. p. LXIX. Lucilium in libro nono se defendisse, quod Homeri carmina detrectavisset. Nam lib. IX. frg. 12 claris verbis fatetur, minime se totam Iliadem, quippe quae poësis sit, (cf. Varro sat. Menipp. Parmeno frg. 14 Riese) vituperasse, sed tantum poëmata quaedam, quae partes illius poësis sint, vel singula verba et enthymemata improbavisse; poësin Homeri sese nunquam perpetuo culpaturum. Praeterea in libro XVII., quo poëta de stoicorum praeceptis egit et commenta poëtarum praecipue epicorum irrisit, qui feminas summis virtutibus exornavissent, haud dubie Lucilius praeter alios ad Homerum respexit, cum personas a graeco poëta celebratas nominatim afferat cf. frg. 1. ubi Alcmene, uxor Amphitruonis Od. XI. 266, Tyro Od. XI. 235, Ariadne Od. XI. 321, Helena nominantur; immo frg. 4. Penelopae ipsius virtutibus videtur irridere. — In libri primi saturis, ubi Lucilius cf. Gerlach proleg. p. XLVIII. deos de Romae salute cogitantes finxit, deorum consilium, quod Homerus Od. I. 26 cecinit, imitatus esse videtur, cum Servius ad Aen. X. 104, ubi pariter tale deorum consilium legitur, annotet, hunc locum ad Lucilii imitationem Vergilium conformavisse; nemo vero in loco Vergiliano colorem homericae dictionis desideret. Etiam amores suos Jupiter in illo consilio enarrasse videtur, nam frg. 15 Ixionis uxor nominatur, cuius amore Jovem flagrasse Homerus XIV. 317 docuit. Certe vero in nonnullis homerici sermonis admonemur ut lib. I. frg. 8 „pater optume divum" coll. „πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε;" et frg. 7 „haec ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi" coll. Il. III. 95 „ὥς ἔφαθ' οἱ δ'ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ." In libri XV. saturis Lucilius fatetur frg. 1. homines „portenta in Homero versificata" monstra putare et exempli causa Polyphemum affert, qui cum ab Homero γίγας nominatus sit, ducentos pedes longus esse putetur. Exstant porro nonnulla fragmenta, in quibus homericae personae commemorantur ut libr. XIX. frg. 66 Chryses reducta, de qua Homerus in Iliadis libro I. cecinit; praeterea Tiresiae sapientia senectusque lib. V. frg. 10, inc. sed. 17. coll. Od. X. 493 laudatur. Incertissimum autem est, num Lucilius libr. XXVI. 68 nefarium Agamemnonis et Clytaemnestrae conjugium, quod Homerus Od. XI. 410 commemoravit, protulerit. Probabilius vero libr. XXVI. frg. 76 „Solus jam vim de classe prohibuit Vulcaniam" ad Homeri Il. XVI. 123 referri potest, ubi Ajax Telamonius classem Achivorum defendisse dicitur. Restant nonnulla, quibus Homerum poëta

certe est secutus, cf. Serv. ad Aen. l. s. n., qui Lucilium in usu verbi „ponere“ coll. ἄλγε' ἔθηκεν Il. I. 2. illius ad dictionem se conformavisse dicit; et Porphyrio l. s. n. affirmat, libr. IX. frg. 25 „quem rapuit Apollo“ ad similitudinem Il. XX. 493 „τὸν ἐξήρπαξεν Ἀπόλλων“ dictum esse. Et accipere possumus poëtam inc. frg. sed. 110 „efflantque elatis naribu lucem“ homericam Chimaerae descriptionem reddere voluisse cf. Il. VI. 182 „δεινὸν ἀποπνέιουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο,“ et frg. inc. sed. 52 „haerebat mucro, gladium in pectore totum“ cum Il. XIII. 442 „δόρυ δ'ἐν κραδίῃ ἐπεπήγει“ comparare licet. Denique Lucilius ab Horatio sat. I. 10. 20 quod verbis latinis graeca immiscuerit, laudatur, et re vera haud ita pauci loci in fragmentis inveniuntur, ubi poëta ipsius Homeri verba carminibus inseruit; nam lib. XIV. frg. 5 totum versum Odysseae Od. XI. 491 tanquam proverbialiter laudavit. Ut pulchritudinem feminarum indicaret lib. I. frg. 17. 1. Lucilius epithetis homericis „καλλιπλόκαμος“ cf. Od. X. 220 al. et „καλλίσφυρος“ cf. Il. IX. 557 usus est, eodemque loco verbis Homeri Alcmenen „Amphitruonis ἄκοιτιν“ coll. Od. XI. 266 et Tyronem „εὐπατέρειαν“ coll. Od. XI. 235 appellat; lib. I. frg. 15 amorem Diae, „Ἰξιονίης ἀλόχοιο“ coll. Il. XIV. 317 protulit. Nec Lucilium fugit, Homerum saepius vocales ejusdem vocis deinceps positae modo produxisse modo corrupisse et exemplum affert lib. IX. frg. 2 „Ἆρες ἄρες“ coll. Il. V. 31.

Sed ut ad eos, qui maxime pedestri sermone usi sunt, quaestionem paulisper deflectam, nusquam nec libri de re rustica conscripti nec fragmentorum, quae exstant, Homerus vel carmina ejus a Porcio Catone laudantur; at etiam ille, quamquam omnino a graecis litteris abhorrebat, certe homerica carmina cognovisse fertur. Nam apud Plut. Cat. maj. IX. 4 ille Polybium cum Ulixe comparans locum Odysseae respicit et de Scipione victore versum Od. X. 495 portulisse dicitur cf. Suid s. v. ἀΐσσουσι.

Grammaticos vero, pui secundo et primo saeculo ante Christum Romae florebant, varie in studia homerica incubuisse bona fide accipere possumus. Constat enim grammatica studia post Cratetis Mallotis tempora a. 159 a. Ch. a Romanis tractari coepta esse cf. Mercklin. de Junio Gracch. I. p. 39; et Suetonius de ill. grammat. c. 2 docet, illum plurimas ἀκροάσεις fecisse, quae Romanos ad prima artis criticae et hermeneuticae studia incitaverint cf. van Heusde disqu. de Aelio Stil. I. p. 23. Cum vero notissimum sit, quantam operam grammaticus ille graecus Homeri carminibus impenderit cf. Wolf proleg. § 51 p. 276, Sengebusch diss. pr. p. 60 sq., non dubitari potest, quin ille Romanos discipulos etiam his studiis imbuerit eaque

ad persequenda incitaverit. Et profecto magnam habet probabilitatis speciem Madvigii opinio (Opusc. 1 p. 105), quae etiam Hertzio de Cinc. p. 65 non displicuit, ex qua Attius Cratetis illis studiis commotus ad librum didascalicon cf. p. 14. sq. componendum se accinxerit; et Bernhardy Röm. Lit. IVed. p. 857 annot. 586 haec dicit: „Die Zahl solcher Männer, die nach Attius, Porcius, Licinus u. a. über Poëten, Dichtungen und Werth derselben handelten, war wohl nicht gering, aber ihr Studienkreis bleibt uns fragmentarisch.“ Atque cum grammatici latini a graecis magistris originem vocabulorum latinorum ex graeca lingua petere edocerentur cf. Lersch Sprachphil. I. p. 93, ii, qui de originatione scripserunt, saepius ad Homeri sermonem videntur rediisse; itaque multi, quamquam de ipsis rebus homericis non quaerebant, eum minime neglexerunt. — Primum Aelium Stilonem, qui a Cicerone Brut. 56. eruditissimus et graecis litteris et latinis laudatur, Homeri carmina in studiis etymologicis non praetermisisse constat. Nam quae apud Fest. s. v. novalem p. 174 Müller leguntur: „Novalem agrum Aelius Stilo et . . . . graecum vocabulum ajunt esse, cum Graeci eum νειόν dixerint, in qua re Homero quoque teste utuntur, qui dixit „νειοῖο βαθείης τέλσον ἱκέσθαι“ Il. XVIII. 547, certe ad illum referenda sunt et illius cognitionem homericam demonstrant. — Ejusdem aetatis Cloatium Verum esse, qui a Graefenhanio Gesch. der klass. Philol. IV. p. 224 et Lerschio Sprachphilos. III. 168 postea floruisse dicitur, mihi persuasum est, et duae sunt caussae, cur ad hanc opinionem adductus sim. Nam a Festo s. v. obstitum p. 193 M. et s. v. subunculum p. 309 M. Cloatius et Aelius Stilo conjunctim laudantur cf. Mercklin de Jun. Gracch. I. p. 42, et nescio, an Fest. s. v. sacrima p. 318 et s. v. novalem p. 174. M., ubi lacunae post Aelii aut Cloatii nomina extant, alterius nomen scribendum sit. Huc accedit, quod ratio quaestionum Cloatii etymologicarum, quas Gellius noct. att. XVI. 12. 1 futtiles et frivolas judicat, talis fuit, qualem illa tempora prae se ferebant cf. Lersch. l. n. III. p. 163 sq. Ille igitur in libris, quos inscripsit „verborum a Graecis tractorum“ Homerum inspexit et Gellius l. n. haec servavit: „Errare dictum est ἀπὸ τοῦ ἔρρειν,“ versumque infert Homeri (Od. X. 72), in quo id verbum est „ἔρρ' ἐκ νήσου θᾶσσον ἐλέγχιστε ζωόντων.“ Probabile est etiam alios, qui eadem studia tractabant, ut Hypsicratem cf. Gell. noct. att. XVI. 12. 6., alios Homeri sermonem accivisse. Et tres loci sunt, quos ad unum alterumve huius temporis grammaticum pertinere puto, quippe qui artis grammaticae vel criticae primordia oleant. Invenitur unus apud Gell. noct. att. V. 8. 10, ubi haec leguntur: „ut quidam putant, tuba a sonitu „lituus“ appel-

lata est ex illo homerico verbo „λίγξε βιός“ Il. IV. 125; alter apud Festum s. v. nemora p. 162 M. „nemora significant silvas amoenas: valet enim id quod Graece νέμος, cuius vocabuli auctor Homerus, cum dicit in Iliade „ἐν νέμεϊ σκιερῷ· ἐπί τε λῖν ἔμβαλε δαίμων“ coll. Il. XI. 480; tertius apud Festum s. v. nuptam p. 170 M. „...nec defuerunt tamen, qui dicerent, sic appellatam ab eo, puod νέαν νύμφην Graeci novam nuptam vocant; alii quod appellat uxorem νυόν Homerus, antiqua quadam consuetudine loquendi, cum in Il. lib. III. ait „ἐξ ἀπίης γαίης νυὸν ἀνδρῶν αἰχμητάων“ Il. III. 49. Cum igitur Romae illis temporibus studia homerica adeo vigerent, ut grammatici exempla ex eo poëta peterent, equidem putem, locum Quintiliani inst. X. 1. 49, ‚Jam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum et argumenta ceteraque probandi ac refutandi sunt ita multa, ut etiam qui de artibus scripserunt plurima harum rerum testimonia ab hoc poëta (scil. Homero) petant,“ non solum ad graecos, sed fortasse partim ad romanos grammaticos referendum esse.

M. Terentius Varro, cuius studia homerica nunc perlustraturus sum, a Quintiliano inst. X. 1. 95 peritissimus latinae et omnis antiquitatis et rerum graecarum latinarumque laudatur; et videbimus, illum Homeri carminibus operam dedisse, cuius studii vestigia non solum in ipsius libris relicta, sed etiam ab aliis scriptoribus commemorata invenimus. Et primum quidem Varro in hebdomadibus suis, in quibus de praeclaris viris disseruit, Homeri imaginem afferre de ejusque vita disputare non omisit; nam ex Gellii noct. att. III. 11. 3 et 6 elucet, primum imaginum librum etiam illius poëtae imaginem complexum esse. Homerum honorificum locum hoc in libro obtinuisse, inter omnes constat, et Mercklinus Progr. Dorp. 1857, de Varronianis hebdomadibus p. 7 et 9 docet, Homerum inter eos fuisse, qui singulis libris principes sive antesignani in fronte extrinsecus praepositi fuerint cf. Rh. Mus. N. F. XIII. p. 467. Quod quidem a Varrone factum esse, Ritschelius in Prog. Bonn. 1858 „epimetrum disputationis de M. Varronis hebdomadum sive imaginum libris p. 5 et Rh. Mus. N. F. XII. p. 154“ negat; minime vero Homero honorificum locum, quem in illis libris obtinebat, abjudicat cf. Progr. Bonn. 1858 p. 11. Qualis vero haec Homeri imago fuerit, nescimus, et Mercklinus Progr. Dorp. 1857 p. 16 locum Plinianum hist. nat. XXXV. 9 huc refert, ubi haec leguntur: „quin immo etiam quae non sunt, finguntur pariuntque desideria non traditos vultus sicut in Homero;“ quo ex loco, si vere huc pertinet, colligitur, Plinium Homeri imaginem duxisse fictam. Mihi persuasum est, Varronem illum caecum senem depinxisse, qualem Cic. Tusc. disp. V. 39. 114 poëtam fuisse tradit. Epigramma quoque,

quod scriptor Homeri imagini supposuit, Gellius l. n. nobis servat:

Capella Homeri candida haec tumulum indicat,
Quod hac Ietae mortuo faciunt sacra.

Quibus ex versibus apparet, Varronem Jon insulam poëtae patriam duxisse, cf. Cicero pro Arch. VIII. 19. Etiam quo tempore Homerus vixerit, in imaginum primo libro inquisivit auctore Gellio noct. att. III. 11. 3, et cum variae essent sententiae de Homeri et Hesiodi aetate, critica quadam ratione quaestionem iniit et vetere epigrammate, quod tripodi in monte Parnasso ab Hesiodo ipso posito insculptum erat, tanquam veterrimo et certissimo documento usus est, nec dubitasse videtur, quin Homerus et Hesiodus eodem tempore vixerint. Atque Varronem in studiis suis illa carmina in singulos libros divisa, qualia e redactione Alexandrinorum grammaticorum prodierunt, ante oculos habuisse, ex eo apparet, quod ille, si recte Wilmanns de M. Terentii Varronis libris grammaticis p. 201 locum Marii Victorini I. 15. 1 p. 2499 P. in illius III. librum de sermone latino ad Marcellum frg. 70 rettulit, Iliadem ex pluribus (scil. carminibus) corpus operis confecti nominasse fertur. Similis locus invenitur etiam in satira Menippea Varronis, quae inscribitur Parmeno frg. 14 Riese, ubi legitur: „poësis est perpetuum argumentum ex rhythmis, ut Ilias Homeri et annales Enni.“ Cumque Varro in libris disciplinarum cf. Ritschl. Progr. Bonn. Nat. 1845 „quaestiones Varronianae p. 31 sq. etiam rebus metricis studuerit et praecipue a Gellio noct. att. XVIII. 15. 2 ejus observationes de versu heroïco laudentur, non dubito, quin ille accuratius in versum homericum inquisiverit. Nam Alexandrinorum opera metrica, quae maxime ad Homerum pertinebant, ei non ignota fuerunt cf. Wilmanns l. n. p. 59 sq. et inprimis Tyrannionis libro, quem de homerica prosodia conscripserat cf. Planer de Tyrannione grammatico Progr. Joachim. Berol. 1852 p. 7 in studiis suis est usus. Huc accedit, quod in tertio libro de sermone latino easdem res tractavisse dicitur, quas Aristophanes Byzantius, quem accuratissime de metrica arte Homeri disseruisse constat cf. Nauck. de Aristophane Byzantio p. 12.

Minime ulla caussa est, cur Varronem Homeri carmina interpretatum esse putemus; at quotiescunque res, quas ab illo commemoratas sciebat, attigit, non solum illius verba protulit, sed etiam interpretationem eorum iniit. Nam Gellio noct. att. XVII. 3. 4. auctore Varro in XXV. libro rerum humanarum de significatione vocis „σπάρτα,“ quae Il. II. 135 legitur, disseruit et a vulgari ejus interpretatione recessit. Sed cum rei etymologicae haud ita peritus fuerit, non recte huius vocis notionem statuit; nam „ego, inquit σπάρτα apud Home-

rum non plus spartum significare puto, quam σπάρτους, qui dicuntur in agro Thebano nati. In Graecia sparti copia modo coepit esse ex Hispania. Neque ea ipsa facultate usi Liburni, set hi plerasque naves loris suebant, Graeci magis cannabo et stuppa ceterisque sativis rebus, a quibus σπάρτα appellabant.“ Nec fugit eum, vocem „ὄϊς“ apud Homerum masculini generis esse, id quod allato illo „πολλοὶ δ᾽ὄϊες [nam sic legendum censeo] in XXIII. libro rerum humanarum annotavit teste Nonio p. 216, Gerlach et Roth. p. 147 A.; et in libris de lingua latina VII. 74 Müller p. 149 ad Homeri Od. V. 272. 273. respicit; ibi enim de bovibus et temone sideribus disserens poëtae illius sententiam affert, et secundum Augustin. de civ. Dei XXI. 8. Varro in libro de gente populi Romani, ubi de Veneris stella verba fecit, Homerum hanc stellam „ἕσπερον“ nominasse cf. Il. XXII. 318 docet. De re rust. I. 2. ed bip. p. 93 Italiam vitibus coopertam cum Phrygia comparat, quae quidem ab Homero ἀμπελόεσσα nominata sit coll. Il. III. 184; eodemque loco Argos a poëta „πολύπυρον“ laudatos coll. Il. XV. 372 commemorat. Deinde de re rust. II. 1. ed. bip. p. 158, ubi de pecudibus agitur, Varro antiquissimis temporibus divitias hominum in pecudibus positas esse docet affertque epitheta „πολύαρνος, πολύμηλος, πολυβούτης“ coll. Il. II. 106; II. 705; IX. 155 alibi. Tum de re rust. II. 5 ed. bip. p. 180 boum majestatem demonstrans dicit, Junonem a poëtis „βοῶπιν“ nominatam esse; nec dubito, quin etiam hic Junonis ephiteti tritissimi apud Homerum meminerit. Varronem autem penitus carmina homerica cognovisse eorumque studia exercuisse, ex iis elucet, quae de singulis quibusdam locis judicavit ex iisque conclusit. Ac primum quidem de re rust. II. 1 ed. bip. p. 90 ei displicuisse videtur, quod Homerus initio librorum musam adjutricem solam, non omnes deos consentes advocaverit cf. Quint. inst. X. 1. 48; deinde Verro de ling. lat. VII. 85 p. 152 M., ubi de numinibus agitur, jam Homerum Jovi summum imperium attribuisse affirmat. Inprimis vero huc referendus est locus a Gellio noct. att. VI. 14. 7 servatus, ubi Varronis de Ulixis, Menelai, Nestoris dicendi facultate judicium legitur, quem locum Wilmanns l. n. p. 205 in V. librum de sermone latino frg. 80 rettulit. Postquam enim Varro ubertatem Pacuvii, gracilitatem Lucilii, mediocritatem Terentii laudavit, pergit: „ea ipsa genera dicendi jam antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus; magnificum in Ulixe et ubertum, subtile in Menelao et cohibitum, mixtum moderatumque in Nestore“ cf. etiam Cic. Brut. X. 40. XIII. 50 Quint. inst. X. 1. 46 et 51. Ceterum Varro continui sermoni versus vel potius frustula homerica inserere non omisit, cuius rei testimonia

in libris ejus de re rustica conscriptis, qui soli omnes aetatem tulerunt, reperiuntur duo. Altero loco de re rust. II. 1 ed. bip. p. 156 versum Il. XVI. 709 profert, neque integra Homeri verba laudantur, sed parva mutatione facta; altero de re rust. II. 5 ed. bip. p. 179 illud homericum „ποιμένα λαῶν“ legitur. Praeterea de re rust. II. 4 ed bip. p. 173 jocose Eumaei fit mentio. Fieri potuit, ut Varro etiam in libro, quem de familiis Trojanis composuit cf. Servius ad Vergil. Aen. V. 389 in singulis ad Homerum recederet, sed hac de re certi nihil statuere possumus cf. Ritschl. Rh. Mus. N. F. VI. 1848. Die Schriftstellerei des Varro p. 507.

At certe in Menippeis Varronis saturis, quarum reliquias post Fr. Oehlerum A. Riese Lips. 1865 collegit, et Vahlenus „In M. Terentii Varronis saturarum Menippearum reliquias conjectanea“ partim disposuit et commentatus est, nonnulla sunt, in quibus scriptor ad Homerum respexit. Atque Varronem in his poëtam graecum adiisse tanquam fontem, nec materiem a Menippo vel alio quodam poëta mutuatum esse, id quod fortasse ex inscriptione saturarum quispiam concludat, satis constat. Nam illum tantum in eo, quod compositionem attinet, Menippum esse imitatum ex Cic. acad. I. 2. 3 apparet: „. . . et tamen in illis veteribus nostris, quae Menippum imitati, non interpretati quadam hilaritate conspersimus q. s.“ Itaque accipere possumus, Varronem in satura, quae „Sesqueulixes“ inscribitur, Homerum secutum esse, atque scriptor ea, quae de Ulixis erroribus narrantur, tanquam in parodiam, ut ita dicam, videtur detorsisse. Qua in satura, ut Vahleni l. n. p. 120 verbis utar, „Varro induta Sesqueulixes persona se Cryphiolathroniam aliquam summi boni, de quo praeclari philosophi rixarentur, indagaturum Ulixis subiisse errores simulavit. Sesqueulixes autem non simpliciter inscripsit, ne meram Odysseam ruminatus videretur, sed hunc novum Ulixem inscriptione subindicaret propria dote vincere veterem.“ Dolendum est, quod ex paucissimis fragmentis totius saturae contextus perspici non potest; at non dubium est, quin in hac Varro multa in similitudinem Odysseae homericae exornaverit. Et re vera ex nonnullis fragmentis ipsa verba Homerica possunt agnosci. Nec male Vahlenus l. n. p. 123 ex frg. 22 R. conclusit, Varronem initio carminis „Echo“ comitem Musarum invocavisse, ut materiem saturae tanquam ab Homero repercussam significaret. Deinde scriptor frg. 3 R. Sesqueulixem propterea „navibus duodecim domum profectum decem annos solidos errasse“ dixit, quod probe sciebat, homericum Ulixem cum totidem navibus Troja Ithacam profectum cf. Od. XI. 159 per duo lustra erravisse cf. Od. XVI. 18. Etiam in Varronis satura Sesque-

ulixes tempestatibus jactatur, quarum descriptionem ille omnino ad homericam conformavit cf. frg. 4 R.

„Omnes inritans ventos omnesque procellas“

quae verba ex Homero sumpta vel potius versa facile cognoscas; respondent enim Od. V. 292 „πάσας δ'ὀρόθυνεν ἀέλλας

Παντοίων ἀνέμων.

Neque Varro ea, quae de Ulixis et Polyphemi congressu ab Homero canuntur, saturae inserere omisit, et in hac quoque parte minime ab auctore eum decessisse apparet ex frg. 5 R.

„Ipsum vidi vino invitari poclis large atque benigne,“

quae verba certe referenda sunt ad Od. IX. 360 sq. Deinde frg. 10 R:

„[Albumst mare atque] adversi venti ceciderunt,
Quodsi pergunt diutius mare volvere, vereor ne me quoque, quom domum ab Ilio cossim venero praeter canem cognoscat nemo“

ad locum Od. XVII. 300 respicit, ubi fidelis canis Ulixem cognoscit. Praeterea „ab Ilio venero“ fortasse legitur, ut similitudo Varroniani Sesqueulixis et homerici Ulixis magis eluceat cf. Vahlen. l. n. p. 113, quae sententia mihi magis arridet, quam altera ibi prolata. Et frg. 10 verbis „albumst mare“ homerici „λευκὴ γαλήνη“ Od. X. 94 et verbis „mare volvere“ homerici „κῦμα κυλινδεῖν“ Od. V. 296 vel „ἀναρριπτεῖν ἅλα“ Od. XIII. 78 admonemur. Incertissimum autem mihi videtur, num Varro, ut Vahleno placuit, frg. 9 R. „quocumque ire vellemus obvius flare; ubi corpori aërinas compedes impositas video“ reddiderit versus Od. XII. 325 „μῆνα δὲ πάντ' ἄλληκτος ἄη νότος οὐδέ τις ἄλλος | γίγνετ' ἔπειτ' ἀνέμων.“

Constat, Varronem etiam in satura Menippea, quae Bimarcus inscribitur, materiem ex Homeri carminibus hausisse; nam frg. 3 R leguntur haec: „Ebrius es, Marce; Odyssian enim Homeri ruminari incipis, cum περὶ τρόπων scripturum te Seio receperis.“ Sed ex fragmentis ipsis nihil certum de huius saturae summa concludi potest et Vahlen l. n. p. 130 et 137 ariolari mihi videtur. Frg. 20 et 21 R. fortasse ex navigationis descriptione ad similitudinem Odysseae formata tracta sunt, at homericis verbis non respondent. Praeterea in sumptae „Ὄνος λύρας,“ ubi Achillis et Briseïdos contubernium commemoratur, frg. 12 R „et id dicunt sua vi Briseïdem producere, quae ejus nervia tractare solebat“ Varro illum heröem lyra et cantu delectatum esse dicit, id quod Homerus Il. IX. 186 sq. eum docuit. De frg. 14 saturae „Parmemonis v. p. 25.

Haec hactenus de Varronis studiis homericis. — Nigidius Figulus, qui a Gellio noct. att. IV. 9. 1. doctissimus juxta Varronem laudatur, etiam Homeri carminibus operam impendisse videtur, quamquam certe huius opinionis testimonia non

habemus proferre. Sed Gellius noct. att. II. 26. 19 commemorat, illum de epitheto „γλαυκῶπις,“ quod praecipue apud Homerum legitur, disseruisse; verba Gellii haec sunt: „Nostris autem veteribus caesia dicta est, quae a Graecis γλαυκῶπις, ut Nigidius Figulus ait, de colore caeli, quasi caelia.“ Sin igitur hunc locum M. Hertzius de P. Nigidii Figuli studiis atque operibus p. 36 recte, ut mihi videtur, libro ejus de diis conscripto attribuit, negari non potest, Nigidium Figulum in hoc libro saepius ad Homerum respexisse ejusque de singulis diis sententiam protulisse.

Sed jam ad Ciceronis studia homerica perstringenda pergo, quorum vestigia in ejus libris, qui satis multi exstant, accuratius indagare ac cognoscere licebit; atque videbimus, quantam operam ille a puero usque ad senectutem Homeri carminibus dederit. Et primum Cicero adolescens complures locos homericos in latinum sermonem iisdem metris vertit, id quod ipse professus est; neque ita pauci versus ab Cicerone versi adhuc exstant, qui et ab ipso de divin II. 30. 63. II. 39. 82. I. 25. 52. de fin. V. 18. Tusc. disp. III. 9. 18, III. 26. 63. III. 27. 65 et a Gellio noct. att. XV. 6. 3. et ab Augustino de civ. Dei V. 8 nobis servati sunt. Sane accipere possumus, etiamsi non semper illis locis affirmetur, horum versuum plurimos ex puerili illa Ciceronis interpretatione haustos esse; nam Cicero ipse de div. II. 30. 63 se otiosum quondam locum vertisse dicit, eumque non solum illos versus, sed complures eodem tempore transtulisse apparet ex Cic. de fin. V. 18 „verti, ut quaedam Homeri, sic istum ipsum locum.“ Praeterea alibi Cicero verba homerica accurate versa pedestri sermone laudavit cf. de div. I. 40. 88 „solum sapere ceteros umbrarum vagari modo“ coll. Od. X. 495 et Cato maj. X. 31 „ex cuius lingua melle dulcior fluebat oratio“ coll. Il. I. 249, quae verba contextu verborum non interrupto inseruit. Sed ut ad metricam illam Ciceronis interpretationem redeamus, versus, qui adhuc exstant, ex diversissimis carminum et Iliadis et Odysseae partibus hausti sunt, et scriptor, qui jam adolescens arti rhetoricae studebat, talia embolia, ut ita dicam, vertenda sibi proposuisse videtur, ubi heroum imprimis Ulixis ἔπεα πτερόεντα ab Homero proferuntur; omnes enim versus ad tales heroum sermones referendi sunt. Quos quidem locos inter alios Cicero in latinum transtulerit, ex versibus ipsis videri potest. — Ille igitur contionem, quae Il. II. 50 sq. legitur, vertit, nam de div. II. 30. 61 hos versus laudavit:

Ferte viri, et duros animo tolerate labores,
Auguris ut nostri Calchantis fata queamus
Scire, ratosne habeant an vanos pectoris orsus.

Namque omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primum ut vestita est classibus Aulis,
Quae Priamo cladem et Trojae pestemque ferebant,
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris divum placantes numina tauris,
Sub platano umbrifera, fons unde emanat aquaï,
Vidimus immani specie tortuque draconem
Terribilem, Jovis ut pulsu penetraret ab ara;
Qui platani in ramo foliorum tegmine saeptos
Corripuit pullos: quos quum consumeret octo,
Nona super tremulo genitrix clangore volabat;
Cui ferus immani laniavit viscere morsu.
Hunc, ubi tam teneros volucres matremque peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit et duro firmavit tegmina saxo.
Nos autem timidi stantes mirabile monstrum
Vidimus in mediis divum versarier aris.
Tum Calchas haec est fidenti voce locutus:
„Quidnam torpentes subito obstipuistis, Achivi?
Nobis haec portenta deum dedit ipse creator,
Tarde et sera nimis, sed fama ac laude perenni
Nam quot aves taetro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Trojam belli exanclabimus annos:
Quae decimo cadet et poena satiabit Achivos"
Edidit haec Calchas; quae jam matura videtis.

Quae omnia dilucide iis, quae Il. II. 299—330 leguntur, respondent. Nec Cicero alteram contionem, quam Il. XIX. 42 sq. Achilles convocasse fertur, latine reddere omisit; nam Tusc. disp. III. 27. 65. nonnulli huius loci versus reperiuntur:

Namque nimis multos atque omni luce cadentis
Cernimus, ut nemo possit moerore vacare,
Quo magis est aequum tumulis mandare peremptos
Firmo animo et luctum lacrimis finite diurnis.

coll. Il. XIX. 226—230. Certum est, Tullium etiam maximam partem noni libri Iliadis interpretatum esse, ubi sermones legatorum, qui ad Achillem conciliandum ab Agamemnone missi erant, leguntur, nam de div. II. 39. 82 Ulixis verba laudantur:

Prospera Juppiter his dextris fulgoribus edit.

coll. Il. IX. 236 et verba Achillis de div. I. 25. 52:

Tertia te Phthiae tempestas laeta locabit.

coll. Il. IX. 363 et Tusc. disp. III. 9. 18:

Corque meum penitus turgescit tristibus iris.
Cum decore atque omni me orbatum laude recorder

coll. Il. IX. 646 sq. Ex libro VII. Iliadis Cicero eum locum

videtur vertisse, ubi Hector Achivorum fortissimum ad certamen provocat; nam apud Gellium noct. att. XV. 6. 3, ubi Cicero memoria falsus esse dicitur leguntur versus:

Hic situs est vitae jam pridem lumina linquens
Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense.
Fabitur haec aliquis, mea semper gloria vivet.

qui ex Hectoris sermone sumpti Hom. Il. VII. 89 sq. respondent. Denique Cicero colloquium Diomedis et Glauci fortasse transtulit; nam Tusc. disp. III. 26. 63. Glauci de Bellerophonte verba proferuntur:

Qui miser in campis moerens errabat Alëis.
Ipse suum cor edens hominum vestigia vitans.

coll. Il. VI. 201. — Odysseae fortasse ea, quae Ulixes apud Phaeacas de erroribus suis narrat, latine interpretatus est, atque illius narrationis nonnullos versus habemus latinos de fin. V. 18:

O decus Argolicum, quin puppim flectis Ulixes
Auribus ut nostris possis agnoscere cantu;
Nam nemo haec unquam est transvectus caerula cursu
Quin prius adstiterit vocum dulcedine captus.
Post variis avido satiatus pectore musis
Doctior ad patrias lapsus pervenerit oras.
Nos grave certamen belli clademque canemus,
Graecia quam Trojae divino numine vexit
Omniaque e latis rerum vestigia terris.

coll. Od. XII. 184 sq. Denique eorum, quae Ulixes domum reversus cum procis egisse dicitur, exstat fragmentum apud Augustinum de civ. Dei V. 8

Tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse
Jupiter auctiferas lustravit lumine terras.

coll. Od. XVIII. 136 sq. Ex his haud ita paucis versibus dijudicare licet, quanta felicitate Cicero in locis homericis vertendis versatus sit. Et mihi quidem Ciceroniana interpretatio puerilem laborem sapere videtur, et qui versus accuratius perlustraverit homericisque comparaverit, concedet, minime latinos versus illum vigorem ac jucunditatem, quibus carmina Homeri tantopere excellunt, olere. Itaque judicium, quod Tacit. dial. de orat. XXI. de Ciceronis arte poëtica et carminibus legitur, etiam ad hanc interpretationem referatur volo. Ceterum vero libertate quadam Cicero in hoc munere usus est neque singulos singulis versibus reddidit; nam saepius aut duos versus homericos in unum coëgit, aut unum versum graecum in duos distraxit; immo longius ab auctoris verbis recessit, ita ut homerica non possint cognosci. Nec Cicero morem Homeri, qui saepissime eadem verba nonnullis versibus intermissis iterat,

secutus est, id quod ex versibus, quos primos protuli, facile cognoscas.

At Cicero scriptis suis, quae ad rhetoricam et philosophiam pertinent, non solum multos Homeri versus laudavit, sed etiam nonnulla protulit, unde colligere possumus, quam opinionem de persona et patria illius poëta habuerit. Et primum quidem Tusc. disp. V. 39. 114 nobis tradit, Homerum fuisse caecum; praeterea ex Cat. maj. VII. 23 videmus, poëtam Tullio senem visum esse. Et verisimile est, ut jam supra p. 24 dixi, Ciceronem hoc loco talem Homerum descripsisse, qualem in Varronis hebdomadibus depictum viderit. De patria poëtae certam sententiam Tullius non protulit et pro Arch. VIII. 19 nihil certum hac de re constare professus est variasque urbes, quae illius patrias se esse affirmant, enumeravit, cf. Gellium noct. att. III. 11. 6. Etiam de tempore, quo Homerus vixerit, scriptor obiter disseruit, et quamquam Brut. X. 40. varias de aetate poëtae sententias proferri docet, tamen ex nonnullis locis ipsius sententiam eruere possumus. Et duo exstant loci de re publ. II. 10. 18, Tusc. disp. V. 3. 7, ubi Homerus Lycurgi aequalis nominatur; at ibi Cicero non suam, sed aliorum opinionem affert, id quod ex verbis ipsis satis elucet; nam altero loco leguntur verba „qui minimum dicunt Lycurgi aetati triginta annis anteponunt fere,“ altero „cuius (scil. Lycurgi) temporibus Homerus fuisse ante hanc urbem conditam traditur.“ Restant jam quatuor loci, ex quibus ipsissima Ciceronis sententia de Homeri aetate elucere mihi videtur. Nam Tusc. disp. I. 1. 3 affirmat, Homerum et Hesiodum certe ante Romam conditam vixisse, et ex Brut. X. 40 apparet, Ciceronis ex sententia Homerum multis annis ante Romulum floruisse. Sin vero Cic. Cat. maj. XV. 54 poëtam multis saeculis ante Hesiodum carmina composuisse docet, qua in re a Varrone recessit v. p. 25., rectissime antiquius tempus Homero vindicat quam Lycurgo, etiamsi Hesiodum Romuli temporibus vixisse putarit. Qua cum computatione optime congruit de nat. deor. III. 5. 11, ubi Cicero Homerum recentem a Tyndaridarum aetate fuisse dicit, quos heroas ante Lycurgum vixisse non negaverit. Minime vero scriptor Homerum poëtam duxit antiquissimum, nam Brut. XVIII. 71 haud ita imprudenter ex iis, quae in carminibus ipsis de Demodoco et Phemio vatibus canuntur, jam alios poëtas ante Homerum floruisse, conclusit.

Carmina homerica ante Pisistrati tempora dispersa fuisse ejusque opera in unum corpus collecta esse, Cicero non ignorabat cf. de orat. III. 34. 137. Juvat hoc loco proferre, Tullium auctore Plinio hist. nat. VII. 21. 21. in libro suo, quem de admirabilibus conscripserat, Iliadem Homeri, quae in membrana scripta et in nuce inclusa fuerit, commemorasse.

De arte poëtica Homeri saepius Cicero locutus est et prolatis locis videbimus, quanti poëtam fecerit. Et primum Homerum, quem pro Arch. X. 24 praeconem virtutis Achillis appellat, optimum auctorem praedicavit cf. de offic. III. 26. 97, quam quidem laudem aliquanto accuratius et distinctius pronuntiavit orat. I. 4. coll. Jahnii annot. ad h. l., ubi eum optimum poëtam epicum laudat cf. Quint. inst. X. 1. 51. Itaque propter excellentiam suam Homerum, quippe cui nemo similis sit de div. II. 47. 97, commune poëtarum nomen suum effecisse Ciceroni topic. XIII. 55 persuasum erat. At etiam singulas virtutes Homeri scriptor laudibus extulit et praecipue artem, qua ille in rebus narrandis usus est, valde admiratus est. Dicit enim de div. II. 64. 132, eum non solum non obscurum fuisse sed etiam omnia ita expinxisse, ut regiones, oras, locos Graeciae, speciem formamque pugnae, aciem, remigium, motus hominum et ferarum, quae ipse non viderit, nos ut videamus effecerit cf. Tusc. disp. V. 39. 114. Praeterea sermones, qui in Homeri carminibus leguntur, respiciens Cicero poëtam ornatum in dicendo ac plane oratorem praedicat cf. Brut. X. 40, qui nonnunquam etiam ad quotidiani sermonis genus accesserit cf. Orat. XXXI. 109, nunquam autem artem poëticam ad voluptatem direxerit cf. de fin. II. 34. 115. De laude Homeri conferre licet etiam Tusc. disp. I. 41. 98. — Quid homerici sermonis esset proprium, Ciceronem non fugit, et saepissime apud illum figuram, quae „ὕστερον πρότερον“ vocatur, inveniri probe sciebat, id quod ex ep. ad Att. I. 16. 1 elucet. De magniloquentia poëtae conferas ep. ad fam. XIII. 15. 2. —

Saepissime vero Cicero in libris suis oblata occassione res ab Homero prolatas respicit, cuius rei testimonia exstant sexcenta. Et scriptor Iliadis, quam ad Att. VIII. 11. 3 „'Ιλιάδα κακῶν“ jocose nominat, et Odysseae summam ita memoria videtur tenuisse, ut non solum, quae in his legerentur, sciret, sed etiam quae ibi non invenirentur, non ignoraret. Nam de off. III. 26. 97. affirmat, nihil de insania Ulixis ab Homero commemorari, et ad Att. VI. 2. 3 Teneam, Alipherum, Tritiam urbes in „καταλόγῳ τῶν νεῶν“ non inveniri docet. Nec Ciceronem, ubicunque res homericas attigit, ipsa poëtae verba ante oculos habuisse ex eo apparet, quod Tusc. disp. III. 9. 18 de moerore Achillis disserens pergit: „apud Homerum Achilles queritur hoc, ut opinor, modo sq.“ id quod, si ipsos versus homericos evolvisset atque inspexisset, eum dixisse vix crediderim. Qua de causa accidisse arbitror, ut scriptori nimia memoria freto saepius μνημονικὸν ἁμάρτημα subierit. Nam

perperam versus Iliadis VII. 89 cf. Gellium noct. att. XV. 6. 3. et Iliad. IX. 236 cf. de div. II. 39. 82 Ajaci attribuit; nec minus falso verba Il. II. 299 — 330 Agamemnoni vindicavit; quibus locis error scriptoris emendatione non est removendus. Praeterea in eo falsus est, quod Tusc. disp. I. 35. 85. Priamo septemdecim liberos ex justa uxore natos esse dicit; nam ab Homero Il. XXIV. 496 undeviginti Hecuba ei peperisse dicitur.

Nec mirum est, quod Cicero, qui librum de natura deorum composuit, saepius sententiam, quam Homerus de diis protulit, commemoravit. Et imprimis ei displicuit, quod poëta immortales deos ita pinxerit ut mortales esse videantur, et de nat. deor. II. 28. 70—74, ubi omnia deorum ad similitudinem imbecillitatis humanae a poëtis traducta esse queritur, ita ut accipiamus eorum cupiditates, aegritudines, iracundias, omnino ad Homerum respicere mihi videtur, praesertim cum paullo post poëta ipse laudetur. Itaque Cicero de nat. deor. I. 15. 41 fabellas Homerum de diis narravisse profitetur cf. de nat. deor. II. 28. 70. Et ut singula proferam, Tullius Tusc. disp. I. 26. 65. poëtam castigat, quod humana ad deos transferens dixerit Il. XX. 232, illos Ganymedem propter formae pulchritudinem rapuisse, ut Jovi bibere ministraret; deinde eodem loco negat, deos, ut Homerus docuerit, initio quarti libri Iliadis ambrosia et nectare aut Juventute pocula ministrante laetari. Nec fugit Ciceronem, apud poëtam illum deos non solum hominum sortes regere, sed etiam coram iis adesse ac familiaritate quadam cum iis conjunctos esse. Nam de nat. deor. II. 66. 166 affirmat, poëtam principibus heroum Ulixi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli certos deos discriminum ac periculorum comites adjunxisse et de nat. deor. II. 28. 70 docet, deos immortales contrarios exercitus in pugnam deduxisse neque ipsos a proelio se abstinuisse. Deinde de div. II. 10. 25, ubi de fato verba fecit, jam Homerum deos non omnipotentes, sed fato obedientes et subjectos finxisse dicit, locumque Il. XVI. 434 sq. profert, ubi Jupiter queritur, quod Sarpedonem, cui fatum erat mori, servare non possit. Denique scriptor ad Il. I. 528 respiciens Jovem nutu Olympum convertisse commemorat.

Sed etiam heroes, quos Homerus singularibus virtutibus exornavit, Cicero saepius laudavit et praecipue eorum, qui facultate dicendi, sapientia, fortitudine excellebant, verbis homericis accurate respectis mentionem fecit. Itaque praestantes oratores ei visi sunt Brut. X. 40 Ulixes, quem ad famil. X. 13. 2 solum a poëta πτολίπορθον appellatum esse annotat, et Nestor, ex cuius lingua melle dulcior fluxerit oratio (v. p. 29.); quorum alteri vim in dicendo cf. Il. III. 221, alteri suavitatem

fuisse cf. Il. I. 248 docet. Eosdemque viros jam in homericis carminibus propter sapientiam celebratos Cic. Tusc. disp. V. 3. 7 laudavit; de Ulixe conferas etiam Tusc. disp. I. 41. 98. Praeterea ad fam. IX. 14. 2 et ad Attic. XIV. 17 A. 2 contendit, honestum fuisse Agamemnoni in consiliis capiendis Nestorem habuisse auctorem cf. Il. II. 370 sq. Etiam Menelai dicendi facultatem Cicero Brut. XIII. 50 commemoravit eumque pauca tantum semper dixisse ex Homeri Il. XIII. 214 cognoverat. Nec minus Phoenicem homerica verba Il. IX. 443 »μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων« transferens scriptor oratorem verborum actoremque laudavit de orat. III. 15. 57, etiam Agamemnonis prudentia, quem Cicero cum maximo exercitu Trojam profectum esse ex Homeri Il. II. 577 non ignorabat, obiter commemoratur Tusc. disp. I. 41. 98. Propter fortitudinem scriptor Tusc. disp. IV. 22. 49 Ajacem, quem Tusc. disp. IV. 23, 52 coll. Od. XI. 543 sq. ira ad furorem mortemque perductum esse docet, laudibus effert et ad Il. VII. 211. sq. respiciens apud Homerum eum sine gladiatoria iracundia in aciem esse progressum multa eum hilaritate ejusque ingressionem sociis laetitiam, terrorem autem hostibus attulisse monet. Hectoris fortitudinem in libro de gloria conscripto laudasse videtur cf. Gellium noct. att. XV. 6. 3; sed Tusc. disp. IV. 22. 49 secundum Homeri Il. VII. 216 eum toto pectore trementem in aciem descendisse dicit.

Atque Cicero, qui de divinatione scripsit, etiam augures, qui in carminibus Homeri commemorantur, saepius laudavit eosque tales nobis descripsit, quales Homerus exornavit. Et primum quidem de div. I. 40. 87. Calchantem optimum augurem praedicat cf. de leg. II. 13. 93.; qui propter artem suam divinandi dux graecae classis factus sit, eademque Homerus Il. I. 71 cecinit; deinde de div. II. 30. 63. (I. 33. 72) multis versibus homericis allatis, eum ex passerum numero annos belli Trojani auguratum esse docet. Tum de div. I. 40. 89. Polyïdum Corinthium laudat augurem, quem apud Homerum Il. XIII. 667 aliis multa et filio ad Trojam proficiscenti mortem praedixisse sciebat. Nec divinationem Hectoris, cuius mortem crudelem Tusc. disp. I. 44. 105 coll. Il. XXIV. 15 commemorat, proferre omisit, quod ille moribundus Achilli mortem praedixerit de div. I. 30. 63 coll. Il. XX. 359. Denique Cicero Tusc. disp. V. 39. 115 secundum Homeri Od. X. 493 Tiresiam augurem fuisse caecum monet et de div. I. 40. 88 translatis verbis homericis Od. X. 495 addit, eum solum sapere, ceteros umbrarum vagari modo. Huc referendus est etiam locus Ciceronis de div. II. 39. 82, ubi de signis coelestibus agitur; nam allato versu Il. IX. 236 concludit scriptor, Graecis dextra fulgura

meliora visa esse cf. Il. XII. 239 (Voss. Kritische Blätter I. 42. Nitzsch ad Odyss. I. p. 91.)

Restant nonnulli loci, in quibus Cicero res homericos attigit. Et praecipue in Tusculanis disputationibus, ubi ille copiosius de animi affectibus disseruit, saepius ad ea, quae ab Homero canuntur, respexit. Et ut singula perstringam, ille Tusc. III. 27—65 monuit, apud illum poëtam quotidianas neces interitusque multorum seditionem maerendi attulisse cf. Il. XIX. 226; et Tusc. disp. III. 9. 18 Achillis querelae allatis versibus Il. IX. 646 sq. commemorantur. De detestabilibus lugendi generibus disputans luctum Agamemnonis Tusc. disp. III. 26. 62 profert, qui ab Homero Il. X. 15 capillum sibi evellisse dicatur et paullo post protractis versibus Il. VI. 201 sq. Bellerophontis luctus commonet. Praeterea docet Cicero Cat. maj. XIV. 54 Laertem, ut desiderium, quod e filio capiebat, leniret, agros coluisse ac stercoravisse coll. Od. XI. 187 et Tusc. IV. 23. 52, ubi de hominum insania agitur, exempli causa jurgium inter Agamemnonem et Achillem ortum profert. Νεκυία Homeri Tusc. disp. I. 16. 37 commemoratur et de nat. deor. III. 16. 41 ad hanc Odysseae partem respicitur; nam illo loco Cicero Ulixem apud inferos etiam Herculem convenisse narrat coll. Od. XI. 601 sq.; Odyss. IX. 447 sq., ubi Polyphemus cum ariete colloquitur ejusque fortunas laudat, Cic. Tusc. disp. V. 39. 115 attigit. Atque Tyndaridas Lacedaemone sepultos esse Tullius de nat. deor. III. 5. 11 ex Homeri Il. III. 243 refert; denique ad fam. I. 10. L. Valerius, quippe qui diu procul a domo fuerit, cum Ulixe comparatur.

Quanto vero studio Cicero carmina homerica perlegerit, quantaque memoria ea amplexus sit, optime ex eo elucet, quod permultos versus ex diversissimis Iliadis et Odysseae partibus graece laudavit. Qua ex re etiam intellegi potest, illis temporibus illa carmina tritissima fuisse et Atticum, Caesarem, alios, ad quos Cicero epistolas scripserit, Homeri carmina penitus cognovisse. Nec semper a scriptore toti versus proferuntur, sed tantum singula verba saepius in epistolis exstant. Et nonnunquam Cicero in laudandis Homeri versibus memoria lapsus est; nam aut seriem verborum mutavit cf. ad Att. XIV. 13. 2 coll. Il. V. 428, aut versus, qui apud Homerum diversis locis leguntur, conjunxit. Sunt igitur hi versus: Il. I. 174 ad fam. III. 7. 6; Il. I. 343 ad fam. XIII. 15. 2; Il. II. 298 ad Att. VI. 5. 2; Il. II. 674 ad Att. XVI. 5. 5; Il. IV. 182 ad Quint. fr. III. 9. 1. ad Att. IX. 9. 3; Il. V. 428 sq. ad Att. XIV. 13. 2; Il. VI. 208 ad Quint. fr. III. 5 et 6. 4. ad fam. XIII. 15. 2; Il. VI. 181. ad Att. II. 16. 4; Il. VI. 236 ad Att. VI. 1. 22; Il. VI. 442 ad Att. II. 5. 1. VII. 12. 3. VIII. 16. 2.

XIII. 13. 2; Il. VII. 93 ad Att. VI. 1. 23 XVI. 11. 6; Il. IX. 228 sq. ad Att. XIV. 13. 1; Il. IX. 524 ad Att. VII. 11. 3; Il. X. 93 ad Att. IX. 6. 4; Il. X. 224 ad Att. IX. 6. 6 ad fam. IX. 17. 1; Il. XI. 654 ad Att. XIII. 25. 3; Il. XII. 243 ad Att. II. 3. 3; Il. XVI. 113 ad Att. I. 16. 5; Il. XVI. 385 ad Quint. fr. III. 7. 1; Il. XVII. 30 ad Att. II. 9. 3; Il. XVIII. 96 ad Att. IX. 5. 3; Il. XVIII. 112 ad Att. VII. 1. 9 X. 12. 4; Il. XIX. 65 ad Att. VII. 1. 9. X. 12. 4; Il. XXII. 100 ad Att. II. 5. 1 VII. 1. 4; Il. XXII. 105 ad Att. II. 5. 1. VII. 12. 3. VIII. 16. 2. XIII. 13. 2; Il. XXII. 159 ad Att. I. 1. 4; Il. XXII. 268 ad Att. I. 15. 1; Il. XXII. 304. 305 ad Att. XVI. 15. 3 X. 1. 1. ad fam. XIII. 15. 2; Il. XXII. 412 ad Att. IV. 7. 2; Il. XXIII. 686 ad Att. II. 9. 3; Il. XXIV. 369 ad Att. II. 9. 3. — Od. I. 271 ad Att. IV. 7. 3; Od. I. 302 ad fam. XIII. 15. 1; Od. I. 305 ad Att. IV. 7. 3; Od. III. 22 ad Att. IX. 8. 2; Od. III. 26. 27. ad Att. IX. 15. 4; Od. III. 169 ad Att. XVI. 6. 1. VI. 13 A. 1; Od. III. 171. 172 ad Att. XVI. 13 A. 2; Od. VII. 258 ad Att. VII. 1. 2 ad fam. XIII. 15. 1; Od. IX. 27 ad Att. II. 11. 2; Od. IX. 34 ad Att. VII. 1. 2 ad fam. XIII. 15. 1; Od. IX. 350 ad Quint. fr. III. 9. 2; Od. IX. 513 ad Quint. fr. I. 2. 1; Od. XI. 633 ad Att. IX. 7. 3; Od. XII. 209 ad Att. VII. 6. 2; Od. XX. 18 ad Att. IX. 15. 3; Od. XXIV. 315 ad fam. XIII. 15. 1.

Si vero nunc ad poëtas revertimur, Lucretius in censum nostrum cadit, qui quamvis carminis materies obstaret, tamen Homerum minime neglexit; nec solum summa verecundia poëtae mentionem fecit, sed saepius res ab illo celebratas libris suis inseruit. Et quanti poëtam duxerit, jam intellegi potest ex lib. I. 124, ubi Lucretius narrans Ennium gloriatum esse, quod ipsi somnianti Homerus visus esset, hunc »semper florentem« praedicat; praeterea lib. III. 1037, quo loco ille omnibus mortem obeundam esse docet, inter Heliconiadum comites unum Homerum profert, quippe qui »sceptra potitus« aeque atque alii mortem non effugerit. Deinde si generaliter carminum compositio spectatur, Lucretius in eo Homerum auctorem secutus esse cuipiam videri possit, quod saepe versus vel ambitus verborum nulla vel parva mutatione facta eosdem diversis locis iteravit; quos versus repetitos a Forbigero partim interpolatos habitos Purmann »Neue Beiträge zur Kritik des Lucretius« recte tuetur Lucretianos. Et tales versus a Lucretio denuo positos minime cum illis locis, qui in Homeri carminibus bis terve repetiti inveniuntur, comparari posse, jam Forbigerus docet, qua in re Purmannus ei adstipulatur; nam l. n. p. 9 haec dicit: »die Wiederholungen bilden entweder dieselbe Bezeichnung derselben oft wiederkehrenden mehr oder minder

komplizirten Begriffe, oder sie dienen eben vermöge ihres Gleichklangs als drastisch wirkende Schlussformeln namentlich bei mehreren nach einander aufgeführten Beweisen für dieselbe Sache.« Nescio vero, num haec sententia omnino probanda sit, quia Lucretius, ut saepe Homerus, tales versus tum repetivit, cum ad novam rem transit; exempli caussa afferam IV. 180 sq. = IV. 909 sq.

> suavidicis potius quam multis versibus edam
> parvus ut est cycni melior canor ille gruum quam
> clamor in aethereis dispersus nubibus austri.

Alia Purmannus in commentatione illa et dissertatione »Quaestionum Lucretianarum specimen« p. 34 suppeditat.

Sed haec missa faciamus, ut ad ea, quae Lucretius tanquam ab Homero mutuatus sit, nos convertamus. Primum lib. I. 464 sq. de Tyndaride ab Alexandro rapta et de certaminibus saevi belli inde exorti verba facit; deinde lib. V. 905 Chimaera ipsis Homeri Il. VI. 182 sq. verbis commemoratur:

> prima leo, postrema draco, media ipsa Chimaera
> ore foras acrem flaret de corpore flammam.

cf. de Chimaera Luc. II. 705.

> tum flammam tetro spirantis ore Chimaera.

Praeterea lib. III. 624 sq., ubi de Tartaro agitur, Lucretius dicit, saecla priora scriptorum animas sensibus auctas introduxisse; quo loco poëta inprimis Homerum respicere mihi videtur, qui in lib. XI. Odysseae multa ejusmodi exempla protulit. Huc accedit, quod Lucretius paullo post v. 981 sq. ubi cruciatus Tantali, Tityi, Sisyphi per allegoriam, ut ita dicam, exponit, in singulis certe Homerum secutus est. De Tantalo quidem ab eo recessit, sed de Tityo homericis Od. XI. 576 similia cecinit v. 984 sq.:

> Nec Tityon volucres ineunt Acherunte jacentem,
> nec quod sub magno scrutentur pectore quicquam
> perpetuam aetatem possunt reperire profecto
> quam libet immani projectu corporis exstat,
> qui non sola novem dispessis jugera membris
> optineat.

Etiam de Sisypho Hom. Od. XI. 594 secutus est: nam v. 1000 sq.

> Hoc est adverso nixantem tradere monte
> saxum, quod tamen e summo jam vertice rusum
> volvitur et plani raptim petit aequora campi.

Beatas Olympi sedes praedicans his verbis utitur lib. III. 18.

> Apparet divum numen sedesque quietae,
> quas neque concutiunt venti nec nubila nimbis
> aspergunt neque nix acri concreta pruina
> cana cadens violat semper innubilis aether
> integit, et large diffuso lumine rident.

quae ad similitudinem Od. VI. 42 sq. conformata sunt. Diomedis equi »naribus ignem spirasse« propterea a Lucretio V. 30 dicuntur, quod de iis apud Homerum Il. XXIII. 380 legerat

> πνοιῇ δ' Εὐμήλοιο μετάφρενον εὐρέε τ' ὤμω
> θέρμετ'.

Praeterea in Lucretii carminibus nonnulla inveniuntur, quibus homericae dictionis vel sermonis commonemur, nec negari potest, etiam in talibus locis eum Homeri imitatorem esse. Nam lib. I. 311 »redeuntibus annis« cf. „περιπλομένων ἐνιαυτῶν“ Od. I. 16; libr. VI. 8 »ad caelum gloria fertur« cf. Il. VII. 192 „κλέος οὐρανὸν ἵκει“; lib. II. 325 »fulgor ibi ad caelum se tollit« cf. Il. II. 458 αἴγλη παμφανόωσα δι' αἰθέρος οὐρανὸν ἵκεν; lib. VI. 74. »magnos irarum volvere fluctus« cf. Il. XIV. 50. ἐν θυμῷ βάλλονται ἐμοὶ χόλον. Denique imaginibus maris et silvae Lucretius II. 766 et VI. 135 utitur, quae ex Homero sumptae esse videntur, cum altera Hom. Il. II. 394, altera Il. XVI. 764 respondeant.

Jam ad Catulli studia homerica perlustranda transeo, qui quamquam praecipue lyricus poëta fuit, carmen epicum, quod »Epithalamium Thetidos et Pelei« inscribitur, composuit. Constat inter omnes, Catullum in hoc carmine Alexandrinorum vestigia secutum esse, et Hauptius Index schol. aest. Berol. 1855 p. 7 nullum poëtam unquam Alexandrinam poësin felicius imitatum esse putat. Itaque, ut mos erat Alexandrinorum ille fuse et copiose singula adumbravit atque exornavit; et cum nihilominus etiam Homerum nonnullis locis secutus sit, gravitatem et simplicitatem homerici carminis scite amplificavit, quo cum reliqui poëmatis splendore congrueret cf. Haupt. l. n. p. 12. Et Catullum Homerum imitatum esse, jam veteres intellexerunt; nam Gellius noct. att. VI. 20. 6 illum c. XXVI. 4 consulto »ebria (sic recte Hauptius ind. lect. Ber. aest. 1857 p. 4 sq.; vg. ebriosa) acina« dixisse affirmat, quod hiatus homerici suavitatem amaverit. cf. Schopen. „Carmina Valerii Catonis“ p. 321. At etiam in illo carmine imitatio homerica cernitur. Et primum, si compositionem carminis spectamus, comparationes a Catullo eadem ratione atque ab Homero adhibitae sunt. Nam ut caedem pugnae exornaret imaginibus v. 105 messorum, qui frumentum succidunt, ut dense mergites cadant coll. Il. XI. 67, et v. 353 venti, qui quercum de monte dejicit coll. Il. XIV. 414.· XIII. 389 usus est. Deinde v. 269, ut frequentiam vulgi significaret, fluctus maris agitati affert, cuius comparationis verba homericis Il. IV. 422 plane respondent; et v. 239 per parabolen nubes circum summos montes collectas coll. Il. III. 10. XVI. 299 adhibuit. Et si singula consideramus, praecipue ea, quae ad navigationis descriptionem

pertinent, homericis congruunt. Epitheta igitur ornantia quae vocantur homerice sonant ut v. 7 »caerula aequora« coll. Il. I. 482 XVI. 392 „κυάνεα vel πορφύρεα κύματα;“ v. 58 »ventosa procella« coll. Od. V, 292 „ἄελλα παντοίων ἀνέμων;“ v. 6 »decurrere salsa vada« coll. Od. V. 100 „διαδραμεῖν ἅλμυρον ὕδωρ;“ v. 7 „verrentes abiegenis aequora palmis“ coll. Il. VII. 5 „καμῶσιν ἐϋξέστῃς ἐλάτῃσιν | πόντον ἐλαύνοντες;“ v. 58 „pellerc vada remis“ coll. Od. IX. 564, VII. 319 „οἱ δ' ἐλόωσι γαλήνην;“ v. 12 „proscindere aequora“ coll. Od. VII. 276 „διατμήγειν λαῖτμα“; v. 13 »tortaque remigio spumis incanduit unda« coll. Od. XII. 172 ἑζόμενοι λεύκαινον ὕδωρ ξεστῇς ἐλάτῃσιν. At etiam in aliis sententiis Catullus Homerum secutus est; immo reperiuntur loci, qui graecis accuratissime respondent, ita ut Homeri imitatio negari nequeat. Nam v. 152 »dilaceranda feris dabor alitibusque praeda« poëta Od. XXIV. 292 „θηρσὶ καὶ οἰωνοῖσιν ἕλωρ“ respexit, et v. 163 »purpurave tuum consternens veste cubile« respondet Od. VII. 337 „πόρφυρ' ἐμβαλέειν στορέσαι τ' ἐφύπερθε τάπητας;“ v. 250 »multiplices animo volvebat saucia curas« simillimus est Od. XX. 10. IV. 427 πολλὰ δὲ μερμήριζε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν; v. 224 »Canitiem terra atque infuso pulvere foedans« agnoscuntur verba Il. XVIII. 23 sq. ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν | χεύατο κὰκ κεφαλῆς· χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον; v. 367 »urbis Dardaniae Neptunia solvere vincla« alluditur ad Il. XXI. 100 „ὄφρ' οἶοι Τροίης ἱερὰ κρήδεμνα λύωμεν“; v. 357—360 ubi de Scamandri undis cadaveribus refertis canitur, artissime conformati sunt ad Il. XXI. 218 sq.; v. 204 sq. »annuit invicto coelestum numine rector« similis est Il. I. 528 sq. (Haupt l. n. p. 12). — Restant nonnulli huius carminis loci, ubi Catullum item ad Homerum recessisse accipere possumus. Et ut a levissimis ordior, v. 340 poëta Achillis celeritatem laudat, cum illum ab Homero saepissime (πόδας ὠκὺς Il. XI. 112 ποδώκης Il. II. 860 ποδάρκης Il. I. 121) ob hanc virtutem celebratum esse, probe sciret. Deinde quae de Ariadnae et Thesei amore canuntur, jam Homerus Od. XI. 321 sq. attigit; v. 21. 27. Catullus affirmat, Jovem ipsum Thetidem Pelopi ducendam dedisse, id quod ex Il. XVIII. 432 cognoverat; v. 279 poëta Chironem Pelopi silvestria dona tulisse, propterea dicit, quod Homerus illum peritissimum medicae artis et in hac magistrum Achillis finxit; denique v. 394 sq., ubi Mars et Minerva saepissime in pugnis versati esse dicuntur, certe ad certamina ab Homero celebrata respiciunt.

Neque lyricis carminibus sententias vel res homericas Catullus inserere omisit, cuius imitationis multa inveniuntur testimonia. Et non solum singula levia poëta ex Homero mutuatus est ut c. LIII. 88 „marmora pelagi“ coll. Il. XIV. 273

„ἅλα μαρμορέην“, sed etiam nonnulla sic transtulit, ut facile locorum homericorum admoneamur. Nam LXVI. 67. ubi de Boote dicitur „qui vix sero alto mergitur Oceano“, respicitur ad Od. V. 272 „καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην; deinde LXIII. 74 verbis „roseis ut huic labellis sonus editus abiit“ alluditur ad Homeri notissimum illud „ἕπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων“; denique de Hercule LXVIIIb. 114 dicitur „perculit imperio deterioris heri“ coll. Od. XI. 621 „μάλα γὰρ πολὺ χείρονι φωτί | δεδμήμην.“ Immo totos versus Homeri translatos carminibus intexuit, ut verba latina graecis accurate congruant. Sic XXX. 4 „nec facta impia fallacium hominum caelicolis placent“ verba sunt Homeri Od. XIV. 83 „οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι“; v. LXII. 26 „Hespere, qui caelo lucet jucundior ignis“ sumptus est ex Il. XXII. 318 „ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ“; v. LXV. 13 „qualia sub densis ramorum concinit umbris Daulias absumpti fata gemens Ityli“ congruunt dilucide Homeri Od. XIX. 520 sq. „δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν, | ἥ τε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φωνήν | παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον.“ Etiam alia homerica a Catullo obiter commemorata sunt, nec dubium est, quin etiam haec ex Homero hauserit auctore. Et ut nonnulla afferam. c. XXX. 4 fidelitas amorque Penelopae laudatur; et c. LXVIIIb. poëta commemorat, Jovem saepissime adulteria commisisse (Propert. III. 28. 28.), quae Homerus Il. XIV. 315 sq. eum docuit. Pasithoë, quam Homerus Il. XIV. 269. 276 deo uxorem a Junone datam esse canit, a Catullo LXIII. 43 laudatur; praeterea Graecos propter Helenam raptam Trojam profectos esse, poëta LXVIIIb. 87. 101. attigit et v. 86 Protesilaus ad muros Iliacos ivisse docet cf. Il. II. 698. Denique, ne quid sciens praetermittam, Hauptius in quaest. Catull. p. 81, ubi de LXVI. 9. 10 disserit, Catullum ab Homero doctum esse affirmat, eos, qui deos precentur, brachia protendere. —

Verum, si placet, ad eos quaestionem nunc dirigam, qui carmina Homeri latinis versibus reddiderunt. Hi poëtae postea ex joco Petroniano c. 59 ed. Burm. Buechl. p. 70. Homeristae sunt nominati, quamquam re vera illi, qui carmina latine canebant v. p. 2. Homeristarum nomen habuisse videntur cf. Gellium noct. att. XVIII. 5. 3. Libri eorum aetatem non tulerunt, et apud grammaticos tantum rudera dispersa, quae Wernsdorf. P. L. M. IV. p. 567 sq. collegit, invenimus, quibus satis ingenium poëtarum mediocre edocemur. Constat eorum, quorum fragmenta habemus, Cneum Matium aetate primum esse; hic a Gellio noct. att. VII. 6. 5., doctus appellatus praeter Iliadem latinam etiam mimiambos composuisse fectur cf. Gell. noct. att. X. 24. 10. XV. 25. 1. XX. 9. 2, et Scaligerus in Conjest. ad

Varr. de ling. lat. p. 149 sq. illum C. Caesaris amicum fuisse haud ita recte contendit. Probabilius enim est, eum ante Caesaris tempora vixisse, cum formis usus sit, quas jam Varro, quem perraro aequalium testimonia attulisse Müllerus ad ling. lat. V. 98 p. 39 docet, obsoletas annotavit. Praeterea impolitus et horridus sermo, qui ex fragmentis cernitur, me commovet, ut a Matio adolescente jam proximo saeculo Iliadem versam esse credam. Nec mirum est, quod Grammatici, qui ipsum Matii librum non inspexerunt, sed versus a superioribus scriptoribus traditos receperunt, saepius illos falsis libris tribuerunt. Ex frustulis, quae exstant, intellegi potest, poëtam quam maxime Homeri verba reddere studuisse, quamvis in versibus quibusdam exprimendis Matius suopte ingenio indulserit. Neque, ut Baehr. litt. hist. I. p. 205. ed. a. 1844 temere affirmat, Cneus Matius iambis usus est, sed ex fragmentis dilucide apparet, eum etiam quod metrum attineat Homerum secutum esse. Fragmenta igitur haec sunt: Varro de. ling. lat. VII. 95 p. 157 M. „Obscaeni interpres funestique ominis auctor," quibus verbis quin Matius Il. I. 106 „μάντι κάκων, οὔ πώ ποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας" reddiderit, vix dubitari potest. Scalig. Il. XI. 4. Müller Il. I. 62 Euler V. 742 vel. XVII. 547 exprimi volunt. Varro de ling. lat. VII. 95 p. 157 M. „Corpora Graiorum maerebat mandier igni" quem versum a Scaligero Il. VII. 428 collatum Müllerus rectius refert ad Il. I. 56. „κήδετο γὰρ Δαναῶν, ὅτι ῥα θνήσκοντας ὁρᾶτο" Gellius noct. att. VII. 6. 5. Cn. Matius in secundo libro: „Dum dat vincendi praepes Victoria palmam;" frustra hic versus in secundo libro Iliadis quaeritur, et Scalig. Il. VII. 291 comparat: „εἴσοκε δαίμων | ἄμμε διακρίνῃ, δώῃ δ' ἑτέροισί γε νίκην", nisi potius Il. XVI. 87 congruat. Gellius noct. att. IX., 14. 14 „Cn. Matius in Iliadis XXI. „Altera pars acii vitassent fluminis undas" coll. Il. XXI. 3. sq. Gellius noct. att. IX. 14. 15. „Idem Matius in XIII. „An maneant specii simulacrum in morte silentum," cui versui congruit Il. XXIII. 103. „ὢ πόποι, ἦ ῥά τις ἔστι καὶ εἰν Ἀΐδαο δόμοισιν | ψυχὴ καὶ εἴδωλον". Priscian. VII. p. 760 P. 334 H. „celerrimus advolat Hector"; quae verba non cum Scaligero ad Il. XII. 462, sed ad Il. VII. 1. „ἐξέσσυτο φαίδιμος Ἕκτωρ" referam. Diomedes I. p. 336 P. 345 K. Cneius Matius in XX. Iliadis „Ille hietans herbam moribundus detinet ore"; minus recte Scaligerus hunc versum ad Il. XII. 403 respicere docet; cum potius hoc Homericum illud „ὀδὰξ ἑλεῖν οὖδας" expressum sit. Charisius lib. I. p. 93 P. 117 K. Cn. Matium Il. XV. „acrum pro acrem dixisse tradit. —

Praeterea Ninnius Crassus Homeri Iliadem in latinum ser-

monem transtulit, et exstant adhuc tres versus, quos aliis poëtis iam vindicatos Huschke de Annio Cimbro p. 9 recte Ninnio attribuit (cf. Weichert rell. p. 86) ejusque nomen Hertzius in Prisciani editione restituit. Etiam hic non epitomen Iliadis confecit, sed totum librum nullis mutationibus adhibitis videtur vertisse, cum fragmenta, quae ex diversissimis carminis partibus exstant, ad verba homerica accurate conformata sint. Nonius s. v. fite p. 323 Gerth. et Roth. Crassus lib. XVI. Il. „socii nunc fite viri," quae verba simillima sunt Il. V. 529 „ὦ φίλοι ἀνέρες ἔστε". Priscian. X. p. 801 P. 503 H. Ninnius in Iliadis secundo „Penetrat penitus thalamoque potitur," quem versum Wernsdorfius et alii Laevii Cypriae Iliadi tribuerunt; sed Ninnii Crassi est et respicit ad Il. III. 447 „ἦ ῥα καὶ ἦρχε λέχοσδε κιών". Priscian. IX. p. 866 P. 478 H. Ninnius Crassus in XXIV. Iliadis „Nam non connivi oculos ego deinde sopore," qui versus referendus est ad Il. XXIV. 638 „ἀλλ' αἰεὶ στενάχω καὶ κήδεα μυρία πέσσω".

Denique de Attio Labeone disserendum est, quem Persius sat. I. 4. 50. 76. carmina homerica in latinum transtulisse obiter commemorat. Et scholiasta Persii de illo poëta plura nos docet, nam ad sat. I. 4. haec annotat: „Labeo transtulit Iliada et Odysseam verbum ex verbo, ridicule satis, quod verba potius quam sensum secutus sit"; deinde ad sat I. 50: „Accius Labeo, poëta indoctus fuit illorum temporum, qui Iliadem Homeri versibus foedissime composuit, ita ut nec ipse poëta intellexisset, nisi Helleboro purgaretur"; cf. etiam schol ad I. 50. Praeterea in epistola Eliae Vineti ad P. Danielem data (O. Jahn. proleg. p. 117.) inter alia haec leguntur: „Labeo poeta latinus fuit, ut Fulgentius in libro etymologiarum ait, qui carmen et opus Homericum vertit in latinum et placuit non magis auditoribus, quam lectoribus". Cum vero Fulgentius, de quo scholiastae notitia profecta est, etiam alia finxerit, O Jahnio prol. p. 72 tota ista de Attio Labone notitia valde incerta visa est. Sed cum certo hac de re judicari non possit, nec ulla alia caussa sit, cur Fulgentium etiam de illo poëta commenti arguamus, scholiastae credere, quam vanas de Labeone conjecturas proferre malo. Unus igitur versus, quem scholia praebent, est: „Crudum manduces Priamum Priamique pisinnos" quo Il. IV. 35 „ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον Πριάμοιό τε παῖδας" collato scholiastae de illo poëta judicium certe probabimus.

Praeter illos homeristas, qui dicuntur, alii poëtae epici ante Vergilii tempora Romae floruerunt, quorum fragmenta tantum pauca a grammaticis nobis tradita sunt. At optimo jure accipere possumus, etiam illos jam a pueris graecis litteris imbutos Homerum praecipue in epicis carminibus secutos esse.

Et talis imitatio ex fragmentis aliorum, aliorum titulis librorum, qui perierunt, intellegi potest. Quis enim dubitet, quin Julus Antonius, qui Diomedea scripsit cf. schol. ad Hor. car. IV. 2 quintum librum Iliadis inprimis inspexerit ex eoque multa mutuatus sit. Pro certo vero habemus, Hostium poëtam, Lucilii aequalem, qui bellum histricum cecinit, in nonnullis Homerum imitatum esse cf. Weichert rell. de Hostio § 8. p. 13. Nam Macrobius Sat. VI. 3. p. 517. Jan. allatis verbis Iliadis II. 489 dicit, Hostium in libro II. histrici illum versum ita reddidisse: „non si mihi linguae | Centum atque ora sient totidem vocesque liquatae“ Et fragmento, quod Fest. s. v. tesca p. 356 M. ex lib. I. Hostii belli histrici tradit „per gentis alte aetherias, atque avia tesca, | perque violabis templa antiqua deum“ Weichert p. 15 Homeri Il. II. 459 „ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα“ comparat. Praeterea Macrobius sat VI. 5 p. 528 Jan. ad Vergil. Aen. III. 75 dicit, epitheta non primo a Vergilio posita esse, sed jam Hostium lib. II. belli histrici cecinisse „Dia Minerva simul autem invictus Apollo | arcitenens,“ nec dubium est, quin Hostius haec ab Homero doctus sit; cf. Weichert rell. p. 16: „nemo hoc in fragmento Homericae dictionis colorem et imitatricem operam Hostii non reprehendat.

Inter poëtas, qui carmina amatoria, quae vocantur, conscripserunt, nonnullos fuisse, qui ex Homero nonnulla sumpserint, negari nequit, praesertim cum apud Laevium poëtam cf. Weichert rell. p. 19 vestigia homericae imitationis inveniamus, Nam apud Priscian. VII. p. 739 P. 302 H. Laevius in Sirenocirca: „Nunc Laertie belle: para ire Ithacam“ quae ad Od. V. 162 respicere videntur; quo de loco Weichert. rell. p. 85 sic disserit: „taud temere videmur suspicari Sirenen quoque neque Comoediam neque tragoediam, sed singulare quoddam poëma ac fortasse erotopaegnion partem, in qua fabulam de Sirenibus et Ulixe earum insulam praetervecto copiose exposuisset Laevius.“ Etiam in aliis erotopaegniis Laevius res homericas attigisse videtur, nam apud Prisc. X. p. 903 P. 536. H. leguntur haec: „Te Andromacha, per ludum manu | lascivola ac tenelulla | capiti meo trepidans libens | insolito plexi munere;“ quae verba fortasse Hectoris sunt ad Andromachen dicta, quorum amorem jam Homerus celebravit. — Ab eodem Laevio Iliadem Cypriam confectam esse nunc constat, cuius fragmenta Naevio poëtae v. p. 8. falso sunt vindicata; et postquam nonnulli illa ad Homeri Iliadem referre frustra studuerunt, Hertzius (Jahrb. f. wissensch. Krit. 1843 vol. II. p. 229 sq.) ea Cypriae Iliadis versibus congruere ostendit.

Denique in Valerii Catonis quae feruntur carminibus (Schopen carmina Val. Cat. cum Naekii annot. Bonae 1847) sunt nonnulla, in quibus similitudo cum homericis cernitur; et ille non solum, quae apud Homerum leguntur, commemoravit, sed etiam saepius verba ipsa ad illius sermonem conformavit. Nam quae de amoribus furtivis Iovis ab Homero Il. XIV. 315 sq. proferuntur, Cato ecl. 63. breviter quidem attigit, et Naekio auctore (Schopen p. 196) verbis »priusquam conjunx dictus uterque est | gaudia libavit dulcem furatus amorem« alludi monet ad Hom. Il. XIV. 295 »οἷον ὅτε πρώτιστον ἐμισγέσθην φιλότητι | εἰς εὐνὴν φοιτῶντε φίλους λήθοντε τοκῆας;« praeterea ecl. 66 sq. stuprum Veneris et Martis, quod Homerus Od. VIII. 267 copiose exposuit, prolatum esse verisimillimum est; denique Aurorae amores ecl. 72. 73. commemorantur cf. Od. V. 121 Od. XV. 250 sq. Quod Diras attinet v. 58 sq. „haec agat infesto Neptunus caeca tridenti | atrum convertens aestum maris undique ventis« poëta verba Od. V. 291 »ἐτάραξε δὲ πόντον | χερσὶ τρίαιναν ἑλών, πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας« respexisse videtur. —

Haec habui de scriptorum romanorum ad aetatem usque Vergilii studiis homericis, quae dicerem; et quaestione mea satis docuisse videor, jam ab antiquissimis temporibus illos Homeri carminibus operam dedisse, ita ut partim ea, quae graecus poëta celebravit, proferrent, partim illius dictionem vel sermonem imitarentur. Quae studia Augusti aetate Romae inveteraverunt, et illius temporis scriptores praecipue Vergilius ea saepissime in usum suum verterunt, ita ut scripta eorum homericam imitationem aperte prae se ferant. —

VITA.

Natus sum Augustus Hermannus Walther die XV mensis Februarii a. h. s. XLIII Crossniae, quod est oppidum Marchiae, patre Carolo, matre Henrietta e gente Clemmer, quos parentes secunda mihi hucusque fortuna servavit. Fidem profiteor evangelicam. Prima litterarum elementa in ludo publico edoctus et a V. Ill. Keferstein, tunc temporis scholae rectore, cuius permagna in me beneficia hic praedicare mihi cordi est, mira humanitate graecis litteris institutus a. h. s. LVII gymnasium, quod Francofurti est, adii, ubi cum sex annos versatus essem, a V. Ill. Poppo, quem nuper mortuum pia semper prosequar memoria, maturitatis accepi testimonium. Quo facto a. h. s. LXIII Vratislaviam me contuli philologicis studiis operam daturus et a. V. Ill. Stenzler, qui tum fasces academicos tenebat, civibus Academiae Viadrinae adscriptus sum nomenque rite dedi apud V. Ill. Frankenheim id temporis ordinis philosophorum decanum. Deinde per octo semestria scholis interfui V. Ill. Bernays, Braniss, Elvenich, Haase, Hertz, Lübbert, Neumann, Rossbach, quibus omnibus gratias ago quam possum maximas. Nec possum silentio praetermittere, quantum V. Ill. Hertz debeam, nam non solum ex exercitationibus proseminarii, quas ille regit, maximum fructum cepi, sed etiam privatis consiliis ab illo adjutus sum.